

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule, on aged parchment with red ruling lines.]*



C. castis lictis. raptis:  
Huc lictis? impura. non lictis en

190 p.  
C

F

A. o. 94.

**SUSANA**  
**COMOEDIA**  
**TRAGICA.**

**PER XYSTVM BETVLIVM**  
**AVGVSTANVM.**



**COLONIAE EXCVDB**  
*bat Ioannes Gymnicus. Anno*  
**M. D. XXXVIII.**

# SOPVERI IN LAVDEM

AGRIPPINAE VRBIS IN QVA  
repetita est actio.

**A** Grippina tibi laudibus inclytæ,  
Germani imperij, quæ decus omnium  
Es splendore tui maxime nobile:


Charæ nunc patriæ pandimus hæc sacra.

Quod sectæ procul exclusis impiæ  
Fœtores, alacris numine, feruida  
Zelotes studij sanctiloqui, cupis  
Ut Rex cunctipotens imperet omnibus.

Musæ Pierides plausibus omnia  
Vestris nunc resonent, spargite ramulos  
Castæ laurigeros Daphnidis arbore:  
Rorem Castalium spargite largius.

Pubis nunc teneræ, quæ studijs sacra est  
Vestris, uota sient auribus, et preces,  
Haud ingrata pijs. Numina Musica  
Inspirate, canent carmine ludicro.

DISCANTVS.



Agrippina tibi laudibus inclytæ, Germani imperio




i, quæ decus omnium Es splendore tu



i maxime nobi le: Charæ nūc patriæ, pādumus hæc sacra

TENOR.




Agrippina tibi laudibus inclytæ, Germani imperij, quæ

A 2

TENOR.




decus omnium Es splendore tui maxime




me nobile: Chara nunc patrie p̄dimus hæc sacra.

ALTVS.




Agrippina tibi laudibus inclyta, Germani imperio




i, quæ decus es omnium Es splendore tui maxime no

ALTVS.



bi le: Charæ nūc patriæ pandimus hæc sa cra.

BASSVS.



Agrippina tibi laudibus inclytæ, Germani imperi



i, quæ decus om nium Es splendore tuo



i maxime nobile: Charæ nūc patriæ pandimus hæc sacra

A 5

PERSONARVM NOMINA.

Chelkias pater	Rachel mater
Ioakim maritus	Sufanna matrona <i>REU</i>
Beniamin filius	Sufanna filia
<u>Daniel propheta</u>	Promptula
	Spudea } Ancilla
Herophilus }	
Spudæcius }	Serui
Achab }	<u>Præco</u>
Sedechias } Actores	
	Cleter } Apparitores
<u>Dadan Quæfitor</u>	Abed }
Agira	Populus
Galaad	Nabuchadonosor rex
Hiftiob	Signæus }
Maloco	Strategus } Imperatores
Ierobaal	Aschedar }
Hedioth	Perfa } Satrapæ
Arradan	Pachus }
Dibon	Toparcha } Præfides puinciar
Zaba	Adargazaræus }
Bafafa	Ephorus } Duces
Dabrani	Gedabeceus dispensator
Iauan	Aspenax magister eunuchorū
Nomēclator	<u>Symbulus à confilijs.</u>



## PROLOGVS

**T**ERENTIUS Poëta festiuissimus,  
Qui conqueritur in omnibus Comœdijs  
De Zoÿlis suis (nec mirum est id quidem,  
Qui etiamnum habet suos infensos amulos)  
Facit, ut sui studio graui respondeam  
Calumniæ. Sic nos sumus (ut dijs placet)  
Iam sanctuli quibus isthæc sancta cautio est,  
Quò non puer tenellus Christo deditus  
Ex limpido latice castarum uirginum  
Ingurgitet quid philti. Ringitur.  
Se prodit ictus. Heus dicam modestius,  
Dicamq; quod tibi placebit optime.  
Extorsit hoc nobis tua importunitas.  
Ut rem sacram pro fabulis Terentij  
Agamus. Haud impuritas tibi placet  
Lenonis. Haud iuuenis tam luxû perditus,  
Ut Aeschinus: neq; hoc quidem, puellulla  
Laborans è doloribus. Sed nec tibi  
Placebit hic, quodcunq; quisq; dixerit,  
Quia non decet malis personas fingere  
Bonas. Malus manebit usq; malus. Senes *Ar. 1. 1. 1.*  
Corruptiores sunt, quàm uel Terentius  
Vel Plautus introduxerit: Libidine  
Adeò nefanda uterq; diffluit miser.  
Acolastus arridebit blandius? Puto.

## PROLOGVS.

Sed is nec Aeschino cedit luxuria,  
Nec Pamphilo. Magis Christum probaueris,  
Qui uictor ex ligno regnabit perpetim?  
Pium quidem hoc drama est, sed interim tuo  
Pueri officit nefandus Iudas proditor,  
Ne discat hinc is praecipuos prodere.  
Taceo, quod inficietur turbae moribus,  
Quae filium summi de ligno crucis  
Poena nefanda sustulit. Bona tibi  
Hoc assero fide, quod nil crudelius  
Sophocles dedit. Neque ullum tota antiquitas  
Immaniùs memorat scelus, ne Scythicum  
Quidem. Iuuat Ioseph magis audire? Sed  
Terentius nullum scortum impudentius  
Petulantiusue inducit, quam sit Saphirach.  
Agamos tibi geratur. En, habes sacram  
Comœdiam. Sed heus paria nobis face,  
Ne dentibus caninis amplius bonum  
Terentium pergas nobis proscindere. *beis*  
Sed heus puer, tu drama paucis dicito.

## ARGVMENTVM.

ISTI fenes, atque Israëlis arbitri,  
Ardent pudicam Ioakimi coniugem,  
Natam Chelkiae, quae Sosanna nomine.  
Tentant minis, nil ipsa cedit machinis.

## ARGUMENTVM.

In ius uocant. Conuictam testimonijs  
Falsis adulterij, Prophetes Daniel  
Absoluit, instinctu diuini Numinis.  
Senesq; Talionis lege iudicat.  
Populus rapit eos, & saxis obruit.  
// Tu planius populo dicas Germanice.

*Lex tali  
lionis.*

## ACTVS PRIMVS SCENA I.

SEDECHIAS PRESBYTER.

**H**EV, cecus ignis ardet imo pectore,  
Miserum me amor uas sanus urit. Aestuat  
Medulla flagrans, uulnus est in uiscere.  
En, totus ardeo miser Cupidinis

Telo. Nisi haec mulier medebitur mihi,  
Spes nulla, tantum posse leniri malum,  
Finisq; flammis nullus insanis erit.

Miror magis quomodo hoc seni fiat mihi,  
Non ausus sum caelum intueri, & sydera,  
Erumpit oculis ignis, & lapsa gene  
Lucem recusant, nil idem dubio placet,  
Artusq; uarie iactat incertus dolor.  
Sed, uideon' collegam? At ipsus est. Eo.

*Tempo senis  
illius tempo  
senis amor*

## SCENA II.

ACHAB, SEDECHIAS. *Collega.*  
A

ACTVS

A. **P**Apæ? quis est, solum procul quem conspicio  
 Deambulanti in horto? Is est, qui sæpius  
 Huc comitat. Sed en mihi fit obuiam.  
 Adibo. Sede. Saluus sis. Ach. Idem & tibi precor  
 Collega, frater, atq; amice candide,  
 Pretus tuo iam pridem amore, qui diu  
 Adoleuit inter nos, tibi nunc colloquar.  
 Per dextram amice obtestor, & fidem tuam,  
 Habeas ne clam me, quod tuum diu tenet  
 Animum anxium? solumq; te hic quod conspicio  
 iam sæpius modò huc, modò illuc lumina  
 Suspirijs uolentem? posses dicere:  
 Achab, tantumne est ab re tua ocij tibi,  
 Aliena ut cures, eaq; nihil quæ ad te attinent?  
 Homo sum, humani à me nihil alienum puto.  
 Si quo modo tuum dolorem tollere  
 Queam, paratum senties. Sede. Benignus es.  
 Sed heus amice, animum meum quoq; tenet  
 Non parua sanè (crede) commiratio,  
 Quid monstri alat deambulatio frequens.  
 Quom non forum rixis strepit, tum maxime  
 Spaciaris, hocq; obseruo plurimum. Ach. Obsecra  
 Se. Curæ leues sequuntur, ingentes stupent.  
 A. Committe curas auribus, frater, meis.  
 Se. Hoc impetrabis, si fidem sponderis  
silentij, pariq; dixeris uice,

*Lament.*

¶

¶

¶



PRIMVS.

Que cura, quisue morbus occupet tuum

Cor. Ach. Hoc bona faciam fide, atq; spondeo.

Hæc m̄alus esto testis, atq; conscia.

Se. Videre eodem, quo laboro maxime

Malo teneri. Ach. Vah. Sede. Cupidinis face

Accensus, & furtiuum amorem in pectore

Meditor, ferorq; adeoq; fluctuo omnium

Miserrimus. Ach. Ain? Sede. Modusq; nullus est,

Quo possim amorem tam nefandum fallere.

Sed, ut soluto labitur moriens gradu,

Sed uix labente sustineo collo caput:

Nec me quieti reddo, sed somni immemor,

Noctem quærelis transigo, & suspirijs,

A. Quid narras? Qæstro eodem percitus miser

Nunquam quiesco, sed furore perpetim

Noctes diesq; carpor: is per ossa abit,

Augetq; morbum. Sede. Quid nam ais? Deus bone

Quæ nam tuam mentem, omnium charissime,

Delectat? aut animo tuotam complacet?

A. Pudet, pigetq; crimen istud prodere.

Se. Quamuis tegatur, proditur uultu furor.

Non est, quod in me rimulam putes, rogo

Effare, fido pectore arcana occultam,

¶ A. Alium silere quod uoles, primus sile. ¶

Se. Nemo istud alius, me quidem excepto, audiet:

Tu te exhibestam difficilem? pari uice

## ACTVS

Dic quaeso. Nam silentium promiserim.

**A.** Moratur, ut scis, hisce in aedibus uir hic,  
Qui est omnibus nostratibus charissimus.

**Sc.** Dicisne Ioakim, quò confluit forum?  
Quiq; ordinis nostri modo potissimus  
Opibus, genus, famamq; maximam  
Habens? **Ach.** Sed est felicior nunc omnibus,

Qui coniugem domi suae pulcherrimam

Habet. Nec est prior Venus, nec Cynthia

Formosior formosa. **Sede.** Credo, tibiq; mi

**Achab** ego consentio: nunquam meis

Oculis imago talis obuersata. Ego

In ea ardeo, meumq; cor mihi salit,

Quoties recordor, & recolligo meo

Animo, nouus candescit ignis aestuans.

**A.** Quid ergo agendum existimas? **Sedech.** Quid? omnium  
Primum, ut libidini satisfiat, neq;

Quicquam nobis sit omnium rerum prius. *libidinis*

**A.** Sed quomodo? **Sedech.** Inueniam uiam nobis bonam.

**A.** Quam quaeso? **Sede.** Tempus est, & apta occasio  
Oblata, qua fieri id potest quam maxime.

**A.** Age cedo. **Sede.** Vidi saepius cum Phoebus est  
Vtraq; terra idem, sereno inambulat

Caelo, atq; carpit umbram opaco in gramine,

<sup>deu</sup> Positaq; ueste artus tenellos perluit

Vnda sonora, quam latex pellucidus

PRIMVS.

Effundit, id cum uideram, coepit meum  
Ardere pectus, flagrat usq; perditè.

A. Aduerti id ipsum, eademq; causa nobis est  
Deambulandi, oculos solebam pascere.

Cum omnes abirent, ac domum reuerterent,

Foro soluto, me huc receperam, angulo

Aliquo latens tuebar, ac quò sepius

Vidi, hoc placet magis, magis furor rapit.

Nunquam tamen fuit adire audacia.

Occasionem etiamnum ego aucupor miser.

Sc. En iam datur percommode. Ach. Nobis datur  
Occasio? Sedech. Atq; animum tuum firmaueris,

Abdamus, hicq; clanculum post arborem

Lateamus ex insidijs, hinc cum iusserit

Pro more abire puellulas, erumpere

Conemur, atq; hanc obruamus territam,

Nil tale suspicantem, et anxiam nimis

Adoriamur, omnibus modis eam

Tentabimus, preces minis miscebimus.

A. Suades bene. Venus secundet omnia.

Sc. Incedit, en stipata nymphaarum agmine.

SCENA III.

SVSANNA MATRONA, PROM  
ptula & Spudæa ancillæ. Achab  
Sedechias Senes.

*3 pias minis  
misceamus.*

A C T V S

**M**irabilis Dei bonitas, puellule,  
 In omnibus rebus lucet. Prompt. Vel saxeuus  
 Pectus sibi uerum Deum persuaferit,  
 Sanctum Deum populi Israël, qui condidit  
 Polum, mare, atq; terræ molem maximam.  
 Non Bel queat, non ullum idolum gentium.

Su. Bene admodum, Psaltes David rex Israël  
 Psalmis sacris cecinit Dei præstantiam.

Pr. Quæso hera, nobis hanc oden edissere.

Su. Coeli Dei recensent amplam gloriam,  
Stabileq; firmamentum hoc comprobauerit,  
Certissimè manuum suarum hoc esse opus.

Pr. Vel cæcus hoc uideret. Admirabitur

Hoc contuens opus Dei mirabile,

Id soluagus, docent id clara sydera.

Satis superq; id officijs suis probant.

Phœbe facit nunc coelo curua cornua,

Nunc orbe pleno lucet totis noctibus.

Fugiunt niues zephyro fugante frigora,

Ver Aestas proterit, campisq; gramina

Virent, opesq; large Autumnus pomifer

Effundit, Inde Bruma iners reuertitur.

Rerum uices iterantibus meatibus

Laudem Dei celebrant usq; sedulo.

Sp. Hortus uiret herbis, florumq; lumina

Stellant. Pro. Comis micant uirentes arbores,



PRIMVS.

Tellus ferax munusculis luxuriat.

Su. En iam dies <sup>diuina</sup> medius trahit rerum breues

Vmbra. Vtrinq; sol pari spacio meat,

Altissimusq; in orbe nunc radijs calet.

Discussit en nebulas, & aestus aestuat.

Placidusq; stridor, quem liquor praebet, facit

Vt me iuuet corpusculum hoc aspergine

Perfundere, atq; abluere sudore meum.

Abite, festinate, & ocyus mihi

Oleum fragrans, & smegma ferte, & insuper

Studiosè quaeso pessulum ostio obdite,

Ne me obruat, <sup>de</sup>posito meo uelamine,

Testis calumniator, aut hic qui struat

Meo pudori uel dolum, aut technas malas.

Pr. Faciemus, ut iubes mea hera, ut condecet

Seruas fideleis. Spu. Hoc potissimum mihi est,

Dominae meae semper studere, & obsequi.

Eamus. Pro. Heus mea tu, moras tu met facit.

Sp. Tu pessulum obde, ut iussae sumus. Pro. Maxime.

A. Non amplius meum queo morbum pati.

Se. Nondum puellae abiire prorsus, heus mane.

A. En, crura nudat uinculis. Sede. Eburnea

Sunt. A. Quae latent meliora sunt. S. Putas? A. Puto.

Se. Quid nunc moramur? appropereamus ocyus.

Quid, odium, cessas gradu studinis?

Quin te moues? Ac. Moueo. Se. Tamē nil promoues.

## ACTVS

A. *Studio gradum celero scili maxime.*

### SCENA III.

SVSANNA, ACHAB, SEDECHIAS.

Su. **P**ER II, Procūl dubio meus pudor male  
Periclitatur. Heu mihi misera, Deus.

Sc. Hem fortiter, tenta, perage decretum tuum.

Intrepida constant uerba: qui timide rogat,

Docet negare. Magna pars sceleris tui

Olim peracta est, serus est nobis pudor,

Incepimus, ne cesses. Ach. Sic coepta exequar.

Non est quod expauescas, o decus meum.

Sc. O corculum meum, tuum suspirium,

Lachrymas tuas omitte: nullus hostis hic,

Nullum periculum timendum erit tibi,

Non arbiter, paradysus hic dolis uacat.

Secreta cum sit culpa, quis testis fiet?

A. Causa est amor, quod adsumus. Morem gero

Amor sacer, si tu modo Christi cupis

Fieri parens. Sunt certa, crede, oracula.

Sc. Morem geras nobis precamur omnium

Pulcherrima, et sanctissima libidini

Medere. Quid facies piū. Susan. Tantum ne ego

Facinus? Deus meliora det. Meus pudor,

Meaq; fides manebit usq; dum Deus

Volet. meoq; coniugi castissimo

Seruabo.

PRIMVS.

Seruabo, proin ualete, abite perfidi,  
Procul impudicos corpore à casto amouē  
Tactus. Quid hoc est? Etiam in amplexus ruis?

A. Donum feres non pœnitendum, Sedech. Quid cupis?

Su. Faceſſe cum donis tuis, nil efficis.

Sc. Vim ſenties, ni ſponte morem geſſeris.

Su. Eadem dies lucem, & pudorem extinxerit. 77

A. Finem dolori faciet, aut uitæ dies. 77

Miferere amantiſ, Suſan. Magne regnator Deus,  
Tam lentus audis ſcelera? tam lentus uides?

A. Dicam te adulterio deprenſam, Sede. Conſule  
Vitæ, & ſaluti, dum licet percommode,

A. Nobis fides habetur undiq; maxima.

Su. Afflicta ſum. Miſeram malum undiquaq; me  
Concludit, & nuſquam ſalus comparet. heu,  
Quò nunc, Deus, me uertam? Nanq; ſolus es  
Qui ferre opem miſeris poteſ. Feras mihi  
Saxum hinc, ſacrumq; me premens hinc imminet.  
Nam ſi coacta nefas, ſceluſq; amiſero,  
Fefelleruſq; coniugi meo fidem,  
Iram Dei magni in me prouocauero,  
Simulq; notam non delebilem meis  
Natalibuſ malum hoc patrans inuſſero:  
Cum me rapit populuſ, ſibi ut paradigma ſim: p e  
Quod ſi parauero uobis reſiſtere,  
Idem periculum tenet miſeram. Quia

B

## ACTVS

Quum præsides iniqui, & omni criminum  
 Genere implicati subditos suppresserint,  
 Non æquitas ibi ualet, non castitas  
 Est tuta, sed leges silent, Ius languidum est.  
 Satius uero est libidini uestræ malæ  
 Resistere, & subire nunc periculum  
 Vitæ, necemq; fortiter feram, modo  
 Sciat Deus, qui corda cuncta, & uiscera  
 Rimatur, esse me extra noxiam. Sede. Licet  
 Multis queratur esse uim, uis attamen  
 Grata est puellis, & Venus uiolentior,  
iucundior. Susan. Tete inuoco uindex pater.

**A.** Tentaueris non auspicatò, ni Venus  
 Secunda sit. Nam aut perface, aut non incipe,  
 Indexq; tollitur, statim atq; criminis  
 Est facta particeps. Auis non commode  
Alis fugit uisco illitis. Susan. Testis Deus  
 Et arbiter, Vindex, & ultor eripe.  
 Miseram tuere, & innocentiam meam  
 Defende. Nil famæ periculum moror,  
Modo sim mihi bene atq; recte conscia:  
Modo tu scias secreta pectoris mei.  
Dextram Deus nunc porrigas, Sede. Nil efficis  
 Clamore, Curre ad hostium, atq; concita  
 Tumultum. Ego obseruabo eam, & custodiam.  
Vt hoc scelus uideat omnis Israël.


*Coritam.  
Nimmis An.*

PRIMVS.

A. Heus uos uoco populares, heus accurrete.  
 Celerate, nunc deprensa uah adultera,  
 Quam nemo suspicatus est unquam minus:  
 Que castitatis omnibus paradigma erat,  
 Exemplum erit nunc omnibus libidinis.  
 Isthic adulter cum sua est adultera  
 Deprensus. Obseruauimus furti locum.  
 Furtum tori deprendimus. Concurrite,  
 Videbitis complexibus iam turpibus  
 Eos frui, legesq; inire Cypridis.  
 Heus uos uolo testes. Sede. Scelestus aufugit  
 Me etate leuior per posticum celer.

SCENA V.

HEROPHILVS SERVVS, SEDECHIAS  
 senex, Spudæcius seruus, Achab  
 senex, Promptula, Susanna,  
 Spudæa.

He.  QVIS clamor hic, foribus seratis pessulo?  
 Quid nam excitas turbas iam uocetertia?  
Se. iuuenis fugam dedit. Her. Reclusan' ianua?  
Se. Erupit. Her. Heus quid clamas senex? Sede. Tuam  
 Deprendimus dominam, secus quam condecet  
 Castam uiri boni, atq; magni nominis  
 Hic coniugem. Her. Quid nã? Sed. Rogas ne? Perfida  
 Indulsi hic complexibus. Her. Nugas agis

B 2

*Excitant turbas.*

## ACTVS

Calumniator. Sed. O, Deus faxit. Her. Deus

Vindex erit calumniae. Meam scio

Heram suum semper parasse commodum

Ex commodis uiri sui. Potissimum

Ducit sibi nomen bonum. Tum coniugi

Soli placere sedulo, atq; moribus

Se accommodare ipsius. Hæc confingitis.

A. Ni conscientia. Spud. Quid conscientia?

Vobis doli mali estis conscij. Scelus,

Quod si esset hoc uerum facinus quàm maxime.

Quod artibus malis innoxia struens

In odium uocas, tamen summi Dei

Lex te iubet celare crimen proximi.

Ecquis fidem uobis malis autoribus

Habebit? Hoc scio, atq; certus sum mihi,

Instructa sic lege est ab incunabulis,

Timens Deum, pudica, castis moribus,

Vt uestra nil queat peruersitas mala.

Pr. Lachrymas mea hera mitte, fortiter tuum,

Vt assoles, casum feras. Susan. O Promptula

Meatū, periclitatur innocentia.

Pr. Malisne tu periclitari noxia?

Probitas stabit tum, quando iniquitas perit.

Nescisne ahæneo muro esse fortius,

Nulla bonos culpa mali pallefcere?

Sp. Veni mea hera, animumq; in ædibus tuis

*hic mury ahæney nro  
Nil uisim sibi, nulla pallefcere culpa...*

PRIMVS.

Recolligas, morata nil calumnias.

Deus hoc inultum non sinet, iudex erit.

A. Eamus hinc. Videbit an deliquerit.

CHORVS PRIMVS.

ex Psal. xxx. sub perso-  
na Sufannæ.

**S**PEM tua firmam posui paterna  
In manu, mundi dominator. Hinc fit,  
Quod pudoris non faciem rubore  
Conscia muto.

Aequitas me nunc tua liberato  
His malis pressam, miseræq; pronas  
Præbeas aures, celera iuuamen.

Eripe dextra.

Tuq; protector meus, atq; tutum  
Sis fugæ asylum trepidæ timore,  
Tu feras promptam miseræ salutem,  
Confugium tu.

Tu meum robur, reducem, beatam  
Fac tuum propter precor alme nomen;  
Gratia larga foueas misellam,  
Rector olympi.

Libera me nunc dominator alte  
Omnibus technis, laqueis dolisq;

B 3

## ACTVS

Quos malignantes posuere mihi.

Protege dextra.

In tuas palmas animam dolore

Territam mando domine & redemptor,

Tu Deus ueri, reijcisq; longe

Pectora uana.

## ACTVS SECVNDI

### SCENA I.

ACHAB, SEDECHIAS, PRESBYTERI.

*Sed.* **L** Vcessit, & Phoebus suboritur. Dies  
Gelidam fugat noctem, meum collegam Achab  
Adibo, consilium meum nunc conferam  
Cum eo. Viam modumq; inibimus bonum,  
Vt ipsa sentiat, quid egerit mali:  
Quod noluit nobis parere, & obsequi.  
Sed cesso nunc illius ostium uiri  
Pultare? En ipse egreditur foras, meus  
Socius. adibo ut recte cuncta congruant,  
Sibiq; pulchre ubiq; res consentiat,  
Erit id necesse in ipso caussa cardine.  
*Amice salue.* **Ach.** Saluus esto. Dic mihi  
Quam formulam suades, putas sic, intendere?  
Aut quam dicam scribemus obsecro? *Sede.* Omnium  
Primum tuis in edibus negotium  
Spectabimus. **Ach.** Locus est nobis per commodus.



## SECUNDVS.

Se. Somnum hercle ego hac nocte oculis non uidi meis,  
Rationem ut inuenirem. Ach. Age eccos. Sede. Quos?  
Achab. Patrem, <sup>Chelkiam</sup>  
Virumq; foeminae. Megera haec, aut Erynnis est.  
Eamus hinc, ne quisquam id ex dolo malo  
Dicat geri. Sede. Recte mones. Ito impigre.

## SCENA II.

IOAKIM, CHELKIAS.

Io. **B**ONVM diem tibi socer charissime  
**P**recor, patris loco colende. Chel. Amplissime  
Iudex, & equus Israëlis arbiter,  
Quid tu uales, chara tua cum coniuge?  
Io. Valemus. Atqui nescio quid tristis est  
**P**raeter suum morem. Ingemiscit iugiter. <sup>Achab?</sup>  
Nec ausus illam, quid nam id esset, alloqui:  
Mœretq; tota cum ea domus. Tum nescio,  
Quid mens mali praesagiat. Chel. Meliora det  
Deus, tuumq; quicquid est praesagij,  
Auertat, & uobis secundet omnia.  
Io. Hoc faxit ipse rector, fata qui regit.  
Sed ecce, coetus iudicum nunc conuolat.  
Ch. Achab, & <sup>Sacerdotes</sup> alter, conferunt, en, seria  
Colloquia. Ioak. Certe id ipsum & indicant manus,  
Capitisq; nutus, admodumq; argutuli  
Gestus. Chel. Ferunt nimirum & arduas, puto,

B 4

## ACTVS

97 Grauesq; causas. Ioak. O beatum, qui suam  
 Vitam seorsim ab omnibus forensibus  
 Negocijs agit, sibiq; uictitat,  
Deoq; Chel. Sic nam id ipse censeo. Ioak. Pater.  
 Paulisper hinc dum tota adest confessio,  
 Deambulando secedamus longius.

## SCENA III.

HEDIOTH, HISTIOB, PRESBYTERI.

He. **Q**uid nã HistioB animus uersat? Quid pöderas?

Hi. **Q**uid queris? an pectus tuum curis uacat?

Qui iudicis munus geris tute ipse. Quem

Non addecet solidam quiete absumere

Noctem, sed alta nocte somnum frangere.

Fraudare tete, ut publicum queas bene

Prospicere commodum. Tibi non natius es.

He. Cui nam? Hist. Rogasne? singulis mortalibus.

He. Ain? Ego ignoravi, crede, id haectenus.

Hi. An ambigis? Hedi. Non ambigo quidem, sed hoc

Haud ullus edocuit mortalium, neq;

Memini quod unquam legerim. Hist. Deus docet.

He. Vbi nã? Hist. Rogas? He. Rogo. Hi. Legisse cõuenit

Legem. Hed. Rogo te atq; obsecro, hoc ediffere.

Legis peritus omnibus celebrior,

Peritior, prudentior, cordatior

Facile es. Tuas enim id quidem sententias

S E C V N D V S.

Dijudicans aduerti. Age explica mihi  
 Officia iudicis. Hist. Dicam quid sentiam  
 De me. Scio, supellex curta est admodum  
 Mihi domi, et pede me meo dimetior.  
 Infantior sum longe alijs: sed maxime  
 Libenter his concesserim locum, et meas  
 Aures eorum uocibus hic arrigam,  
 Si quis queat dignis modis de iudicis  
 Munere secundum scripta patrum dogmata  
 Disserere, tum secundum legem maxime,  
 Quam censeo esse oraculum. Quin iudico  
 Nefas morari, et uiuere in Republica,  
 Et non tenere, quod ius dicitur ibi.  
 Sed ecce iudicum conuentus aduolat.

S C E N A IIII.

AGIRA, MALOCO, DADAN, *Quasitor*  
 Presbyteri.

A. **A**N comparatum est sic diuinitus? Mal. Dadan  
 Audin? D. Quid audia? M. Loquentem Agiram

A. Hominis scio officium, et boni semper uiri (ibi

Munus, suis operam dare, atque tum obsequi

Clientibus, bonisque amicis omnibus,

Cum de suis rebus periclitantur, aut

Cum fama controuertitur. Mal. Sic res habet:

Nemo id negabit, ut puto. Agi. Sed nescio

Id quo modo fiat, negotijs fori

B S

## ACTVS

Abhorreo. Nam dum uolo huic adesse, uah  
En alterum in me prouocauero, boni  
Aequiq; iuxta amantem, amicum etiam optimum  
Et intimum. Lupus tenendus auribus.

M. Ut ille iudicum statum nouit probe?

A. Et interim dum maxime omnibus paro  
Gratari, & obsequi, perit benignitas.

M. Lepidum caput, quam scite uerba istic facit  
Ad curiam? Dad. Nihil minus. Malo. Quid nam male?

D. Dicam hoc: Is haud spectabit id, qui dirimit ¶  
Lites, amicosne, an minus, paret sibi.

A. Quis isthic est? Dad. Epicles, emendatio est ¶  
iuris. Agi. Meus Dadan, reor, uir optimus.

D. Sed equitate, Lesbia norma solet  
Vti. Sed ille fert suas sententias

Ad gratiam. Studium ualeat: conducitur

Mercede. Malo. Quantum publice interest, Dadan,

Bonos habere iudices? Agi. Nil audio

Quae uerba fecerint, id nil miror, mea

Nihil interest. Autoritate plurimum

Aurum ualeat. Nam illius estimatio

Animum diu deuinxit. Achab iustus est.

Nil ceteros moror: nam iniqui sunt. Eo.

Sed en forum totum strepit sermonibus.

## SCENA V.

Adiungit  
se prius  
in consi-  
sione  
iudicium.

SECUNDVS.

ABED, CLETER, APPARITORES.  
Dadan quæſitor.

A. **C**eleremus, inſtat hora, en omnes iudices  
 Adſunt. Ioakim & ipſe cum ſocero ſuo. *Chorkia*  
 Vierq; ſumus. Cle. Acacus, Rhadamanthys, aut  
Noſtratum quiſquam, mea ſententia,  
Integritate, candida prudentia,  
Alijsq; dotibus, eis, nec eſt prior,  
Nec conferendus. Ab. Hic ſapit, ſi quis ſapit.

Cl. Salomonem eius ſapiunt bona ac prudentia  
Conſilia, peccus in graui cauſa David  
Refert. Agendis rebus in eſt conſtantia.  
Animus ſibi ſimilis. Tum & æmulus pius,  
Ezechias in hoc, in illo is Iofua eſt.

A. Si pergas illius pari ſtudio bonas  
Dotes uocare ad calculum, non ſufficit  
Totus dies. Cle. Eamus ergo, tempus eſt.

¶ Apparitoris publici officium eſt boni,  
Adeſſe, & apparere ſemper præſidi.

¶ Nos ſumus excuſti, uir dexterrime,  
Quæ dignitas præceperat nobis tua.

D. Q. Feciſtis ut uos addecet: Cum iudices  
Aderunt, ſuum tum quiſq; munus ſedulo  
Peragat. Ab. Erit cura id nobis. Cle. Curabimus.

CHORVS SECUNDVS, EX VIII.

Prouerbiorum cap. ſub perſona Sapientia.

Fediorth. Hiſtiob.	Agira Maloro Dadan quæſitor.	Ioakim, Chorkias.
-----------------------	------------------------------------	----------------------

ACTVS

**N**VNquid summa ferit sydera maximus  
 Clamor, quem resonat stans Sapiens  
 Cœlestis: semitis, per iuga montium,  
 Et portis patulis intonat oppidi.

Alta uos uoco, uos uoce mea uiri,  
 Teq; Adæ soboles, quæ male desipis,  
 Hoc prudens animo consilium meum,  
 Præceptum hoc fatuus pectore claudito.

Auscultate, loquar conspicuum meis  
 Verum nunc labijs, ut doceam bona.  
 Guttur ueriloquos pangere percupit  
 Sermones, Labium scismata abhorruit.

Plectris iusta pijs dogmata proloquar,  
 Non fraus ulla meo, nec dolus ore erit.  
 Qui sanum sapiunt, his mea candida  
 Ac sincera sophis, simplicibus sophia.

Argentum superat Nuthestæ meæ  
 Pondus. Corripite hanc, atq; scientiam,  
 Aurum quæ precio præualct optimum.  
 Quæ gemmis melior. Nilq; iucundius.

Clarus cui titulus, quæ Sapiens  
 Compellor Domini, possideo bonum  
 Summum. Nam teneo nempe scientiæ  
 Thesauros, opibus splendo maximis.

Haud parum sapit is, qui timet optimum  
 Rectorem, Dominum stelliferi Deum

## SECUNDVS.

Coeli. Nanq; Deum qui timet, oderit  
Technas latiferi tartareas mali.

Nam fastum timidum, quicquid & arrogat  
Elatis animis, atq; uiam mali,  
Et peruersa dolis ora ueneficis  
Detestor, fugio, pessime & execror.

Et quaecunq; gero consilijs meis  
Euentus docet hæc confieri bene,  
Aequum iustitiæ tempero callide,  
Nos inquam penes est summa potentia.

Nostris auspicijs imperium tenent  
Reges, & proceres constituunt sacras  
Leges, quas temerans, Ius uiolauerit.  
Iudex æqua meo numine iudicat.

## ACTVS TERTII

### SCENA I.

~~DADAN, QVAESITOR, PRAECO, D~~  
~~Nomenclator, Ioakim.~~

*Præco, fori ritu manda silentium.*

*Pr. I* Primo silentium uobis mandauerim.

Rursus secundo: & tertio, ne iudicum

Quis uerba tentet, murmure, interrumpere,

Cui nulla fandi copia est à iudice,

„ Siclis duobus sentiet mulctarier,

Qui contumax nunc hicce contrà fecerit.

## ACTVS

**Q.** Nomenclator heus, recense nomins,  
Quibus dies sit constituta, partium.

**N.** Haiab reus, uestra ampliatus maxime  
Clementia, uadimonium, periculum  
Cause timens, deseruit. Atqui ceterum  
Inius uocauit neminem. Pax undiq;

**Io.** Laus optimo atq; Maximo Deo fiet,  
Cui pacis & concordie studium placet.

**Q.** Secede. Consultabimus nunc publica.

## SCENA II.

**QVAESITOR, IOAKIM, ACHAB,  
Chelkias.**

**Q.** **Q**Ioakim decus celebre, quam bene  
Fauet Deus suis ubiq; gentium.

**Io.** Inter duo contentions, optimi  
Viri Israel, genera referuntur, Alterum  
Est emulationis emulatio,  
Studijsq; honestioribus contendere.  
Quae cœlitus demissa olim est mortalibus,  
Quae cum uiget, florebit & Resp.  
Quam quisq; prudens recte comprobauerit.  
Sed alteram genuit profunda nox, malum  
Deterrimum, mortalium quod pectora  
Diuersa corripit, furorem concitat,  
Facitq; quod forum contentionibus



## TERTIVS.

Strepit subinde, & iurgijs grauiſſimis.  
Quoniam uero, patres, niliam forensium  
Causarum adest, Deo optimo sit gratia,  
Quod pestis illa paululum cessauerit.  
Proin cum sit opportunitas percommoda  
Oblata nunc, ne tempus extraxerimus  
Incassum, & nunc percommode nobis uacat  
Displicere, quâ legum rûinas patrio,  
Et pristino nitore, & amplitudini  
Queamus auspicijs diuinis reddere.

**Q.** Suades probe, uir omnium sanctissime,  
Proin quisq; pro se dicat ordine.  
Vbinam domus uitium grauiſſimum facit?  
Achab, tuam sententiam dicas prior.

**A.** Quia iussus hac in re meam sententiam  
Aperire, quamuis non lubenti animo, & graui.  
Animus iuuandi, & arcta conscientia  
Instanter ûrgent, dicere hic piaculum.  
Nunc publici status caput, quàm maxime  
Laborat, & nûtat, minatur acriter  
Grauem rûinam. Nam caput si lingueat,  
Quid quæso erit sperandum in omni corpore?

**Q.** Apertiûs dicas. Ach. Patres Israël, ach,  
Inuitus hoc dico. Tamen lex dictitat  
Id esse iudicis boni, nec ordinis  
Rationem habere, dignitatisue, aut locis

A C T V S

Sed iudicare æquum, scelusq; auertere.

Proin pace, Ioakim, tua iudicium deis

Faciam. Patres, uobis opinor omnibus

Susanna pulchra cognita est, quæ Ioakim

Amabilis coniux, Chelkiæ filia est.

Commisit hæc scelus nefandum, adultera

Deprensa cum suo est adultero. Ioak. Hoc ain?

A. Quæ poena sit illi irroganda, lex docet.

Io. Eadem docet lex falsa testimonia

Cauenda. Ach. Mentior nihil: curate eam

Accersier, tum uos bene edocebimus

Quæcunq; facta sunt. Ioa. Procul domo meæ

Sit hæc calumnia, Senex, mentem tuam,

Et conscientiam tuam paulo altius

Examines uelim, ne affectibus magis

Rem nunc agas, quam sancta ueritas tibi

Studio fiet. Nam conscius mihi bene,

Affirmo nil domi meæ (quod iactitas)

Factum esse, quod luat caput. Precor,

Desiste coeptis, obsecro, calumniam

Omitte. Si fossam fodis dolo mihi,

Ne tute in ipsam primus irruas, caue.

Ad Chelkiã Ô mi pater, uides nobis technas strui,

Nunc licet, procul domum me conferam:

Nam fas non est, reos foris sedilia

Capessere, Atra uestis, heu, magis decet.

Abdico

### TERTIVS.

Abdico munus iudicis: sortem meam  
Capessat is, qui digne possit fungier.  
Ch. O iuste iudex, pectorumq; cognitor,  
Vindex & ultor omnium dexterrime,  
Cognosce nostras innocentias, Deus  
Causam tue fidei mandamus. Vltio,  
Vindicta, multa, poene & irrogatio,  
Penes tuam clementiam solam sient.  
Fili, gener, dolere nunc nobis licet,  
Nihil amplius? Ioak. Imò amplius licet, pater,  
Sperare spem. Che. Quam? Ioak. Num rogas? Bonã.  
Pater, Deus cui causam, & hoc negocium  
iam credidisti, uiuit: is non deseret  
Vocantium fidem, cuius iuuamine  
Meditabimur causam. ipse cognitor fiet.

### SCENA III.

DADAN, QVAESITOR, AGIRA, HISTIOB,  
Maloco, Hedioth, Dibon, Zaba, Da  
brani, Iauan, Achab, Sedechias.

QVam onus graue & molestū, uah, nūc imminet  
Humeris meis. Quiduis (Deus) magis uelim,  
Quam questionis istius iudex modo  
Esse: atq; luctū sordidus, doloribus,  
Meo cum amico, <sup>Ioakim</sup> atratus esse, quam ut toga  
Conspicius hic Quaesitor occupem miser.

C

## ACTVS

Inuitus, hæc modo tribunalia. O fidem  
Hominum. Timor me habet, ne constuprata sit  
(Quæ casta & incorrupta legibus debet  
Manere) mens ac iudicium sententia.

¶ Sed si necessitas id urget, quid paro  
Recalcitrare? Quin magis Deum precor,  
Ut non agamus hoc, quod non æquum fiet,  
Temerarium uic. Iudicis munus boni

*Iudicis  
officium.*

Hoc semper esse iudico, ut, si causa sit  
Magna ac grauis, qua fama agatur, aut caput  
Considerare recte circumstantias:

Natalium splendorem, & quæ fortuna sit;  
Et maximè omnium, quibus uita modis

Acuum ante uixerit. Patres, hæc singula

Dum ponderamus, atq; inquirimus bene,

Non admodum scio, num sit præstantior

Et generis, & pietatis, atq; cæteris

Nominibus. Atq; sic puto, esse partium

Nostrarum, in hac re, longe circumspectius,

Prudentiusq; agere, atq; si sint crimina

Confessa, & ante peracta uita perditæ.

¶ Sanè, mea sententia, prudentius

Agemus, & magis pie, si quisq; nunc

Nostrum, procul calumnia, famam malam

Auertat, atq; dedecus familie

Tantisper arceatur, dum res cognita

### TERTIVS.

Fiat. Tuam dicas sententiam prior,  
Sapiens Agira. Agira. Si me interrogas meam  
Sententiam, dicam, sua ut cuiusq; sit  
Et salua, & integra. Omnium clarissime  
Quæstor, hac in re tuæ sententiæ  
Subscribo, nec probo manus crudelius  
Inferre, sed uocariet per publicum  
Seruum modestius. Tum non puto satis  
Consultò agi, si partibus permittitur  
His assidere iudicum subsellijs.

Præterea cum secesserint, tum iudicum

Numerum repleti. Q. Histiob, tuum fer calculum?

Hi. Videntur æqua, quæ nunc iste protulit.

Q. Et tu Maloco. Mal. Agiras dixit candidè.

Et æquitas hoc postulat. Q. Dic Hedioth.

He. Probatür hoc, quod hi dixere, conuenit:

Peritioribus lubens subscripserim.

Q. Suffragium Dibon feras. Dibon. Suffragium

Idem fero. Q. Zaba, tu detegas quoq;

Mentem tuam. Zab. Dixere rectè singuli.

Q. Dabrani, dic. Dab. Loquuntur optime, & puto

Quod censuerunt, longè consultißimum.

Isthuc iubebit æquitas. Sic censeo.

Q. Iauan, tuam pronuncia sententiam.

Ia. Sic est, id annuo. Quæsi. Consensus omnium

Decreuit, id, quod est solenne curiæ.

## ACTVS

Quapropter hinc senes seorsim cedite.  
Nam partibus non conuenit, quod iudicis  
Est munus, hic subire. Controuersiam  
Meditemini potiùs piam, ac calumnia  
Vacuam: dabo uobis (quod æquum erit)  
Hanc actionem. Ach. Etiam si tanta auctoritas  
Nobis sit, ut pro dignitatis ordine,  
Propterq; presbyteri sacrum munus fides  
Dictis haberi conueniat nostris: tamen  
Quia sic placet senatui, fiat. Sede. Eo.  
Causam modo peragemus, ut ne, Iudices,  
Fecisse nostram, nos queat conuincere  
Quisquam, modo ut sistatur huc adultera.

## SCENA III.

### QVAESITOR.

**Q.** Apparitores, ite, quod decreuimus,  
Perficite. Coniugem Ioakimi, optimi  
Viri pudicam, & innocentiae decus,  
Iubete iussu publico, innocentiam  
Sua tueri, in ius ut ambulet, bonis  
Instructa testimonijs, fide bona  
Validis, & amplis factionibus suis.  
Capitis ream manibus prensate cautiùs:  
Quo praxis hic seruetur, omnibus modis.  
Nos exequemur publicum hoc negocium.

TERTIVS.  
SCENA V.

CLETER, ABED, APPARITORES.

CL. **E**amus, atq; quod mandavit optimus  
Quaesitor, expediamus ocyus. Abed. Sequor,  
Cetera. Cl. Non admodum. Dolor magnus meum  
Nunc pectus occupat, ni muneris modo  
Necessitas iuberet, nunc absisterem.  
Repugnat, an Deus me amet, pectus meum,  
Abhorret, atq; nescio quibus modis  
Fiat, quis id genius faciat. Abed. Praesagium est.

SCENA VI.

QVAESITOR, NOMENCLATOR.

Q. **N**omenclator, hoc negocium dabo  
Tibi. Moras tu rumpe, quò frequens forum  
Siet, uocato Galaad, Ierobaal,  
Arradan, atq; Besasan, Viros senes.  
Numerumq; iudicium dicas quò compleant.  
No. Curabo diligenter hos accersier.

CHORVS TERTIVS, EX PSAL.

Beati immaculati. Principes  
persequuti.

**H**EV me psequitur technis procerum mala tur  
Non merito grauibus. (ba  
Horruit ast trepidum pectus formidine saltans  
Ardua uerba tua.

## ACTVS

Eloquium rursus diuini numinis almum

Pectora letificat.

Haud secus ac spolijs diues, clarusq; triumpho

Gaudia concipio.

Fraudes pestiferas fugitans, legemq; beatam

In precio posui.

## ACTVS QVARTI

### SCENA I.

GALAAD, IEROBAAL, ARRADAN,  
Besafa, Quæsitior.

Gi. **Q**uid obsecro noui est? quæ causa? Iero. Nescio,  
Nisi quod grauis fiet, necesse erit. Quis

Nunc ordo iudicum suis subsellijs

Ex parte cedit. Arra. Factionibus puto,

Vt mos habet, suisq; quisq; partibus

Indulget. Besa. Hoc fieri potest. Nunc optime

Sciemus. Q. Hem, seniores Israël uiri,

Capitalis est heic causa: eò capeßite

Vices eorum, qui pro factionibus

Absunt, et actionem dictitant grauem

Sanctæ piæq; foeminae, quam cernitis

Huc uentitare. Iurisdicção mihi est


Molesta, iubeo, locos illeic capeßite.

### SCENA II.



Q V A R T V S.

SUSANNA FILIA, BENIAMIN  
filius, Ioakim, Rachel mater, Prom  
ptula, Chelkias, Quæfitor,  
Nomenclator.

Su.  VO ducitis materculam, nequissimè?

Be. Scelus, nequicquam hoc feceris. Ioa. Ne liberi,

Venite ad me, mea chara pignora. Ben. O pater,

Quò ducitur mihi mater dulcissima?

Ra. O scelera, prò fidem. Doloribus meum

Cor rumpitur. Che. Modestius. Rach. Cain genus.

Pr. Ferenda erat captiuitas. Num hoc patrium est?

Tyrannus haud queat crudelius, si maxime

Volet. Rach. Queat? Aegyptus olim æquissima

Patribus fuit, si conferas, o Promptula.

O tellus, hosce absorbe: o tarda fulmina.

Ch. Memor decori, etiam malè infortunio

Vexante, Matrona esse debet. Rach. Prò dolor.

O sacrilegum genus. Chel. Suos innoxios

Deus tuetur, & probat periculis,

Quò clarior uirtus probata splendeat.

Io. Anima bono coniux sies charissima.

Sicut tuam castissimam semper fidem

Hucusq; castis moribus seruaueris:

Sic senties comitem necis tractarier.

Constanter heus tuam nunc innocentiam

*Causa cadum.*

## ACTVS

Testabor heic profusione sanguinis:

Stipulorq; uitam, sponse perfidis

Facta, Dei fretus fide dexterrimi.

Causa cadent, dubia procul spem tu cape.

**Q.** Nomenclator, tu renuncia uiris

Senibus, licere, si uolent, intendere

Nunc actionem. **No.** Nunc datur uobis uiri

Peragere ream. Iudex modo statuet statum.

## SCENA III.

**QVAESITOR, ACHAB, SEDECHIAS,**

**Rachel, Praeco.**

**Q.** REAM, uiri, indicastis, hincq; iudices,

Rid disputantes, censuere singuli, ut

Suscepta cognitio, scrutetur optime,

Assistit hic, quam detulistis uos, rea.

Inter reos delata, nunc recepta sit.

Incumbit ulterius uobis procedere.

Legitimus esto contra eam processus, et

Absit dolus malus, ne per proteruiam,

Videamini obsequi malis affectibus,

Causamq; uestram facere uelle callide.

**Ac.** Quaesitor, atq; iudices populi Israël,

Id omne quod forensis usus continet,

Teneo, nec hic negotialis pragmata,

## Q V A R T V S.

Aut formulas Iuris ministret cognitor.

Id quicquid est, exercitati nouimus.

Si quid fugit, subscriptor hicce suggeret.

Se. Condecet, ut hæc modo detecta fronte sit,

Quo uos queatis ex oculis uersantibus,

Videre, quæ sit frontis conscientia.

Non facile erit crimen non uultu prodere.

Ra. Hem proditor, scelus, furor libidinis,

Non patrius illud ritus dicitat, scelus,

Nescis magistratum decere non modo

Manus habere continentes? quin decet

Etiã uacare oculos omni cupidine.

Nondum satis satiastis, hem nequissimi

Libidines? Sinister ignis estuat,

Et odiũ nigrum, atq; ardens uesania

Telũ. Sede. Tacere tu potin' triuenefica?

Ra. Vitam dabit uobis, pudicitiam suam

Dat nemini. Ach. Quæsitore ficcine conuenit?

Nũm Præco mandauit silentiũ foris

Q. Præco, ritũ fori manda silentiũ.

Pr. Primo silentium uobis mandauerim:

Rursum secundo, & tertio, ne iudicium

Quis uerba tentet murmure interrumpere,

Cui nulla fandi copia est à iudice.

Siclis duobus sentiet mũltarier,

Qui contumax nunc hicce contra fecerit.

ACTVS  
SCENA IIII.  
QVAESITOR, ACHAB, SEDE-  
chias, Susanna.

**N**VNC quaestionem ferre commodè potes.  
Strepitus silet, ne quid nimis affectibus  
indulgeas. Simplex ueri est oratio. ¶

**Ac.** O quaestionis iudex, atq; ceteri  
Viri patres, non indigemus, credite,  
Monitu, sed aestimate nos eos magis,  
Quibus bonum studio fit, atq; equum, uelut  
Vos conscij bene estis, nos potissimum  
Operam dedisse, quò reis clementia  
Praestetur, atq; contumelijs Dice  
Vacet, nedum cuiquam ex malis affectibus  
Damnum struamus, absit hoc nobis procul.  
Quoties dolor miserationis pectora  
Mouit, reus si plecteretur iustus?  
Vtinam ne fur sit, aut adulter uspiam  
Velut ista, quæ thalamos iugales perfida  
Violauit (haud enim placent sueta dapes) ¶  
Castosq; ritus Venere non casta exiit.  
Nil circuitione usi narrabimus  
Vt gesta sit, rem uobis ordine.

**H**eri peracto prandio cum Loxias  
Obliquius radios uibraret, et mora  
Aestum grauem faceret, nec tum forensibus

Q V A R T V S.

Nos occupatos casus hūc perduxerat,  
Paradyfi, & arborum iocunda opacitas  
Illexerat, dum cedimus sub arbore  
Colloquia publicum negotium spectantia,  
Incedit ecce casta, scilicet, suis  
Binis stipata nymphis formosissimis.  
Hæc turbidis animis faciem pulchram induit.  
Viduatq; calceis eburneos pedes.  
Quod si comes cum ea mansisset altera,  
Poterat uideri ibi corpusculum suum  
Salientis undæ rore uelle spargere.  
Sublatâ mox suspicio. Nam iuuenis celer,  
Nec inelegans ex angulo horti profilit.  
Congreditur hanc: statim salutant mutuò.  
En locus ab omni liber arbitrio uacat.  
Haud mora, sub arbore osculis in gramine  
Viridi suauibus luserè amplexibus.  
Siquid licentiosius tentat puer,  
Perfricta frons nihil abnuuit, uel paululum.  
Cætera pudet uiros dicendo promere,  
Quæ sceminam scelestam facere non pudet.  
Hinc, hinc patres, uidere consuetudinem  
Potestis hanc fuisse illi creberrimam.  
Verum ne debilis uisus nos falleret,  
Ex umbra tum progressi, propius  
Accessimus eos, iacere turpiter.

## ACTVS

Simulatq; nos spectaculum turpissimum  
Abominati detestationibus,  
Accurrimus senili tardius gradu,  
Depensus attamen, nisi quod motu pedum  
Melior iuuenta fretus, atq; corporis  
Viribus ualentior, lucta prestantior  
Elapsus, et graues senes nos supprimens  
Adulter in pedes celer se contulit.

Et ianuae postici insultans fortius,  
Vno impetu ui limen audax transiit,  
Liquit stupratam ciuium accursum timens.

Ipsam tenentes, Ecquis hic, quæsiuimus,  
Sed nec precando, quis fiet fidi fraga  
Confessa, nec ullis minis extorsimus.

Aisne cuncta gesta, collega optime,  
Ut diximus? Dic testimonium tuum.

Se. Contestor, et quæ dixit, assero omnia.  
Si non fides satis ualet, iurabimus.

Deliberate, o incorrupti iudices,  
Statuite, ne quis uestra clementia locus  
Queat uideri apertus. Exemplum modo  
Sit cæteris in posterum mortalibus,  
Ne uindictet Deus commotus Israël,  
Quapropter o ludex fiat anacrifis.

Q. Süssanna, matronarum amplissimum decus,  
Nunc quæstioni respondebis, quam tulit.

Questionary  
Klag

Q V A R T V S.

Fateris hæc in uniuersum, an excipis?  
Su. Precido eo modo, quo nulla exceptio  
Siet. nego precise quæ dicunt senes.  
Nouit Deus doli peruersam fabricam.  
Nec quicquàm eorum, quæ calumnijs malis  
Dixere, testimonijs queunt bonis  
Probare: sufficiat mentem esse consciam.

S C E N A V.

QVAESITOR, MALOCO, IERO  
baal, Hedioth, Arradan, Dibon,  
Zaba, Befasa, Dabrani, Ia  
uan, Agira, Galaad,  
Histiob.

Q. HANC QUESTIONEM acerrimam, pij patres,

Audistis: atq; audistis alteram  
Partem. Senes aiunt, negatq; <sup>scilicet</sup> foemina,  
Capitis senes anquirunt, hæc id abnuuit:  
Res controuersa est, summa litis uertitur.  
Ex his, patres, status cause inficialis est.  
Deliberate, quid fiat nunc amplius.  
Maloco, te rogotuam sententiam.

M. Quia nunc rogor sententiam, Boni patres,  
Alijs honorem eum quidem concesserim.  
Dicam tamen, quod æquitas me iusserit.  
Quid dixerint senes grandæui audiuiimus.

## ACTVS

Audiuimusq; quid matrona <sup>parcius</sup>  
Responderit. Quod asserunt, hæc pernegat.  
Ob idq; cause cardo uertitur modo.

*Actus in  
bis p. 11  
Gatio.*

Quapropter, o patres, actori censeo  
Incumbat ut probatio robustior,  
Te merijs & coniectationibus.  
Sed nullius sententia præiudico.

Q. Ierobaal, tu sensa mentis detege.

I. Satis uidetur Achab rem dilucidè  
Narrasse, & actio satis probabilis  
Videtur. Atqui si maturitas uirum  
Grandæua, non satis pro ætate roboris  
Habet, fides saltem fiet sanctissimo,  
Quod obtulere, iurijurando senes.

Q. Dic Hedioth: quid sit tibi probabile.

Hc. Probatur id quod cæteris bonis placet.

Pedibusq; in illius sententiam uolo

Discedere. Quæsi. Arradan tuam dic tu quoq;

Sententiam. Arra. Cum litis contestatio

Sit constituta, & actio probabilis

Audita, & frigida admodum negatio:

Id restat, ut sexus fiat collatio,

Et ponderentur rectè circumstantiæ.

Hinc sunt senes concordite testimonio,

Autoritatis ample, & huius ordinis

Primarij, quibusq; religio fiet,



Q V A R T V S.

Quod obtulerunt, Iusiurandum fallere.  
 Econtra liquet foeminam esse fragilem,  
 Iuuenemq; non libidinis resistere  
 Impulsibus potuisse, qui non frangier  
 Queat timore, & tam graui periculo?  
 Si non delinquere illi religio fuit,  
 Atq; temerare sacram coniūgi fidem,  
 Multo minus uerebitur nunc fallere  
 Numen? Fero iūdex meam sententiam,  
 Si non fides actoris testimonio  
 Habetur, at ualeant iurata numina.

**Q.** Dibon bone, hac in re graui pronuncia:

Quid nam uidetur? Dib. Hoc uenia dicam bona,  
 Longe alia mens mihi est, prorsus dissentio.  
 Si autoritas grandæua uobis tam ualet,  
 Valetq; tam senilis æstimatio,  
 Ut hæc pudicitie queat castissimæ  
 Officere, nescio: sed hoc scio, patrem  
 Et coniugem splendere tam natalibus,  
 Tamq; esse claros, & graues prudentia,  
 Quam quisquam eorum, qui hæc inten, fant crimina.  
 Ad hæc pij studijs Dei quammaximæ  
 Sunt dediti. Respondet uitale gibus.  
 Respondet hæc natalibus. Requiritur,  
 Quum fama controuertitur, quæ uita fit  
 Peracta, dispicere. Equid audiat male?

21

## ACTVS

Quod si labore fama, tunc probabile est  
Admissa forte tam nefanda crimina,  
Sed præter hos nil tale suspicatus est  
Quisquam. Tacebo, iusiurandum esse improbi  
Offerre, ne sit uspiam aduersario  
Conditio. Videtur is sententiam  
Pronunciare uelle de causa sua.

Nec sexus, ut non ipsa iuret impedit.

Quapropter ut nunc conditio detur reæ  
(Quod arrogat sibi actor) æquum censeo,  
Id ipsum & æquitas matronæ adiudicat.

**Q.** Dic Zaba, quid tu sentias. Zab. Hoc sentio,  
Arradan hac in causa ego subscripserim.  
Videtur æquitas fauere actoribus.

**Q.** Dic Besasa, Bes. Sic ut Arradan sentio.

**Q.** Dicis Dabrani, quidnam tua mens suggerit?

**Da.** Hæc quæ Dibon dixit strepunt affectibus,  
Qui longe abesse debent sancto iudici.  
Amor facit, amor condonanda sunt,  
Quæ dixit. Sed est isthuc sententiam  
Pronunciare? Nempe, sensa protulit.  
Tam profuit causæ, quàm si defenderet,  
Litemq; prouirili faceret hanc suam:  
Mihi magis, quod Arradan dixit, placet.

**Q.** Iäuan, adde, quod probatur, calculum.

**Ia.** Est ut Dibon bonus prudenter dixerat.

## Q V A R T V S.

Non est (mea sententia) quod ceteri  
Dixere. Quæsi. Quid tu Agira? quid pronuncias?

A. Dixere multi multa, Iusq; fluctuat  
Hinc inde, dumq; dicta cuncta pondero,  
Animus meus nutat. Nam hinc est miseratio,  
Illinc senilis est autoritas, cui ueritas  
Quamplurimum astipulatur. Conscientia  
Hinc triste dicitur dicitur, sed candidum  
tas urget importunius clementia.

Amicus est Chelkias, atq; Ioakim,  
Sed amica certe ueritas nobis magis.  
Amicus his uiris ad aras extiti,  
Sed ueritas mihi modo præponderat.

Q. Tū Galaad, dic quid tibi sit integrum.

G. Vis magna testimonijs, testes ualent.  
In ore uel duum, triumue ueritas  
Consistit, idq; lex diuina dicitur,  
Valetq; iusiurandum in iure plurimum.  
Medetur hoc iuri, si est lis perplexior.

Q. Ô Histiob, dic quod uirum bonum decet.

Hi. Quæsitore alme, nil ualet nunc æquitas,  
Laborat ut uides nunc innocentia,  
Nil efficit nudum meum suffragium,  
Dicam tamen nunc liberè, quod sentio.  
Amica flaua ueritas magis ualet  
Alijs, ualetq; alijs, quod testimonijs

## ACTVS

Conuicta res (si dijs placet) adulteræ  
 Trucidat alter amicus, alter legibus  
 Abutitur, facitq; normam Lesbiam.  
 Agiram urget stricta conscientia,  
 Vt sit necesse tristem impingi litteram,  
 O conscientiam? Quid? Ampliatio  
 Occlusa erat, dum non constabat ueritas?  
 Si non salutis tesseram seuerior,  
 At amplius pronunciaſſe conuenit,  
 Si non queo ſaluare caſtam, innoxiam,  
 Piamq; ſceminam mea ſententia,  
 Abſit tamen manus ſcœdare ſanguine  
 Innoxio. Sed liberam pronuncio.

## SCENA VI.

QUAESITOR, ACHAB, SEDECHIAS,  
Populus.

¶ **M**AIOR reſ fauor, quàm ſit actoribus,  
 Plerunq; habetur: hic nil æquitas poteſt,  
 Hic non licet reæ, quod fas actoribus  
 Eſt: ueritas iacet, ualent ſophismata,  
 Ô ſi liceret iudici reſcindere,  
 Quod perfidis pütet decretum calculis,  
 Sed quia modo neceſſitas ſic poſtulat,  
 Vt hoc agam, quod exigit peruerſitas,  
 Sententias numeratas iam prætorie

## Q V A R T V S.

Facio ratas autoritatis - calculo,  
Iurisq; iurandi his concipio formulam.  
Senes uiri, dextras matrone in uertice,  
Ut mos habet, positas tenete, uerbaq;  
Dictabo docta, iusiurandum clarius,  
Dum praeo, sequentes, omnes syllabas  
Pronunciate, ne qua missitatio  
Linguae fiet. Ach. Nos recte sumus conscij.  
Se. Modum tenemus hunc forensis praxeos.

Q. Nos Achab, atq; Sedechias conscij

A. S. Nos Achab, atq; Sedechias conscij

Q. Iuramus sancte per Deum uiuentium,

A. S. Iuramus sancte per Deum uiuentium,

Q. Testem dictis Deum uocamus Sabaoth

A. S. Testem dictis Deum uocamus Sabaoth

Q. Si non Susannam adulteram deprendimus,

A. S. Si non Susannam adulteram deprendimus,

Q. Si non res dictis congruat per omnia,

A. S. Si non res dictis congruat per omnia,

Q. Vindex Deus faxit Babylonis exules

Moriamur. --- ACH. SED.

Vindex Deus faxit Babylonis exules

Moriamur. --- Quasi.

--- Nec postliminio reuertere

Vnquam fiet fas, --- ACH. SED.

--- Nec postliminio reuertere

Vena  
Iura  
meti  
seu iu  
ris iura  
di foru  
mula.

ACTVS

Vnquam fiet fas, --- Quasi.

--- Et nos terra sorbeat, ACH. SED.

--- Et nos terra sorbeat,

Q. Sicut Dathan, et Abyron antiquitus,

A.S. Sicut Dathan, et Abyron antiquitus,

Q. Sic lepra corripit, ut Naaman Syrum.

A.S. Sic lepra corripit, ut Naaman Syrum,

Q. Et capitibus nostris, maiorum crimina

Cuncta ingruant. --- ACH. SED.

Et capitibus nostris maiorum crimina

Cuncta ingruant --- Quasi.

--- Et execrationibus

Interminatis, legibus Mosaicis.

A.S. --- Et execrationibus

Interminatis, legibus Mosaicis.

Q. Oraculisq; uatum obnoxij male

Vexemur --- ACH. SED.

Oraculisq; uatum obnoxij male

Vexemur, --- Quasi.

--- Vt populo paradigma nos

Periurij semper posthac simus, Amen.

A.S. --- Vt populo paradigma nos

Periurij semper posthac simus, Amen.

POPVLVS.

¶ Rapiatur ad poenas. ¶ Scelesti nunc iurat.

## Q V A R T V S.

¶ Lex mandat ut domus Israël à crimine  
Sit munda. ¶ Labe ista nunc ferenda erit  
¶ Tollatur ergo hæc è medio. ¶ Lex obrui  
Saxis iubet. ¶ Istanc decet mulctarier.

Q. Postquam religio senum sententiæ  
Fecit satis prolata, iam nil amplius  
Restat, nisi quod summum ius dictitauerit,  
Et ut satis fiat populi furoribus,  
Ut morte culpam præstes diram scemina,

Exempt. Nisi ad acta prouocaueris, uel termino  
Nunc constituto (nam hoc triduum tibi damus)

Ad sceptræ regis per nos appellatio  
Concessa sit, cui summa iurisdicctio est,  
Quam uictor ipse sibi Nabuchadonosor  
Nunc uendicat, populusq; uictus, omnia  
Sua iura in ipsum transtulit. *Ius Martium* *Wahrheit*  
Hoc est, sit uictis presentissimus dolor.

Id, ecce, libertatis habet captiuitas:

De moribus legis licet cognoscere.

Deliberato cum dilecto coniuge,

Charisq; cum parentibus: salus tua

Nunc pendet omnis ex Regis clementia.

## SCENA VII.

IOAKIM, RACHEL, CHELKIAS,

Promptula, Susanna, Benjamin,

Susanna filia.

D 5

A  
ACTVS

Io. **O** Casta coniux, cor meum mihi rumpitur  
Doloribus. Rach. Prò, quid? iuuatne uiuere  
Quenquam? Malum malo geminatur. Chel. O Deus.  
Captiuitatis hoc molestiae malo  
Grauissimum nunc additur. Prom. Tyrannidis  
Vitauimus uim, Castas esse Martium  
Ius fuit. Hera nil iuuat nos amplius  
Vita frui, Senes tantum facinus hoc?

Ch. Aequissimus gnata est Nabuchadonosor,  
Adhunc licet nunc appellare. Susan. Mi pater  
An aequitas incircuncisi praeualet?  
Non, non uidetur hoc probabile. Ioak. Hoc potest  
Meum decus. Susan. Tibi infero nunc dedecus.

Io. Tantisper id dum falsis instaurauerit  
Talia Deus Iudex incorruptissimus.

Su. Dicis probe. Nam is solus innocentiam,  
Thalami tui fidem, secreta pectoris  
Nouit mei. Regem caelorum prouoco.  
Proin nunc ualeto coniux mi charissime,  
Tori fidem testabor rore sanguinis.

Io. O socia thalami, siccine adflictum uirum  
Hic deseris? Susan. Commendo chara pignora.  
O nate nunc ualeas, O chara filia,  
Te nunc pari relinquo expositam malo.  
En mors pudica uitae indignum premium,  
Idem malum tibi imminet mea Promptula.



Q V A R T V S.

*Spudæa. Nil ualebit ultra castitas.*

Pr. O hera, quàm iuuat comitem esse, quàm malis  
Sic obijci? Susan. Tibi commendo liberos.

Be. Mater mane. Susan. fil. Mane precor matercula,  
Ne nos relinquant orphanos miserrimos.

Su. En uos parentes, ecce diligentia  
Fructus, & educationis hæc trepteria.  
Qui me pudicis enutristis moribus,  
Actate uos confectos, captos, exules,  
Afflictionum ego grauisima omnium  
Afficio: me uestrum pudet parentes, nil moror  
Vitam meam fatis iniquis soluere.

Ra. O gnata, te miseram nefanda mors rapit?

Su. Genitrix mea, haud miserum est fatis concedere,  
Miserum est nefanda morte dignum admittere.  
Mortalium id fors fert bonis iuxta ac malis,  
Ut sint malis hic fortuitis obnoxij.

Ch. Recte sapis, quod hæc æqui boni facis,  
Robur Deus tuis addat conatibus,  
Virtutibus maeta, & ferendo uincito,  
Genuisse me mortalem haudquaquam nescio.

Su. Dominus Deus meus creator sic suam  
Ratione laudem perficiet mirabili.  
Persuasum id esse mentibus uestris uolo,  
Hanc esse notam, quæ dubio procul fiet  
Obliteranda pulchre gloria noua.

## ACTVS

Animi mei sententiam nunc iudici  
Dicam. Valet, æqui boniq; hæc omnia  
Facite, Deo negotium committite.

## SCENA VIII.

SUSANNA, QVAESITOR,  
Cleter, Abed.

*Sw.* **V**OS Israëlis arbitri, iam contuli  
Charo meo cum coniuge, ac parentibus  
Vite negotium. Quid prodest appellatio  
Mos prouocationis est curare maxime,  
Ne in appellatione sit error malus,  
Appello eum, qui summa sceptrâ concutit,  
A quo potestas iudicandi cæteris,  
Etiam malis conceditur potentibus,  
Is corda nouit, & scrutatur uiscera,  
Erroribusq; nullis est obnoxius:  
Is uindicans iustam feret sententiam.

*Q.* **M**ori uolenti, deesse nunquam mors potest.  
Nunc acribodici fiat executio. *adhibet iudiciorum  
rigor uiris.*  
Iuris rigor, Susanna, saxi obrui  
Nunc te iubet: apparitores, prendite.

*Cl.* **M**atrona, nos precamur, quod sententia  
Præcepit, ut ne acerbius feras. *Abed. Mea,*  
Æqui, boniq; facias, nos necessitas  
Themistos urget hoc ministros publicos.

## Q V A R T V S.

Su. Corrupta uos urget Themis, nihil improcor.

Causam meam Themis diuina suscipe:

Tuum tribunal, atq; sceptrum dexterum

Imploro: te non fallunt testimonia

Adulterata, nil affectibus strepens

Oratio, nil lata legis fimbria,

Sed candor, atq; pectus integrum bene

Tibi ualent: nil te fugit reconditum.

Tu scis, quibus me technis circumuenerint

Senes, suis cum nollem ego acquiescere

Votis libidinosi. Tute conscia es

Dolo malo geri rem, & hoc testabitur

Crucor meus. Gentiles, heus aduertite,

Babylonijq; Ciues, hoc potissimum

Studium fiet uobis, quo salua castitas

Tum uxoribus, tum filiabus floreat.

Quorum interest uidere ne Respub.

Quid detrimenti capiat, nec mala ingruant.

Mala consilia ueteratorum retundite.

Alias mala haec pestis serpet crudelius,

Pudicitia laborabit letaliter,

Partim mali sunt, partimq; his assentiunt,

Partim boni, sed pauci aduersus nil queunt.

Sapite uiri Israël meo periculo.

### CHORVS EX PSALMO

### LXXXII.

D S

2104  
ris:

## ACTVS

**P**resens in medijs consilijs Deum  
Diuos cunctipotens iudicat impios  
Quis finis malefidis  
Vestris iudicijs erit?  
Quantisper facies praeualet impijs?  
Pompas magnificas respicitis foro?  
Pupilli mage digna  
Afflicti ratio fiet.  
Iustum iudicium pauperibus feras,  
Suppressos inopes assere liberos,  
Iniusti eripias bonos  
Censoris uiolentia.  
Ignorant stupidi, nec sapiunt bene,  
Palpantes manibus, per tenebras cuncta,  
Hinc tellus tremit, atq;  
Diris turbida fluctuat.  
Vobis sumus honos, numina uos uoco,  
Excelsiq; Dei progeniem tamen  
Sors Ade capiet uos,  
Fatiq; imperium premet.  
Summis praecipites fastigijs dabo,  
Exurgas domine, ut iudicium feras  
Terre. Nam dominaris  
Cunctis gentibus undiq;.

**ACTVS QVINTI**

QVINTVS.

SCENA I.

DANIEL PROPHETA,

Agira, Quæſitor, Cleter,  
Apparitor.

Da. **E**HEM, Domus ſeniores Iſraël patres,  
Immūnis en ſum ab innocenti ſanguine.

A. Ehem puer, quid clamitas temerarie?  
Quid uult tuus ſermo? Quid interceſſio?

Da. Patres, iniqua iūdicatiſtis hodie.

A. Quæſitor, en temerariam hanc audaciam.

Puer, ſenes hic inſimulat calumnie.

Et actiones interpellat. Irritam

Rem iudicatam factitans, infamie

Eximere nota ſatagit. Quæſi. Tun' puelluleſ

Ain? Tibine interceſſori, cedere

Senes cupis? Dan. Deus reis hanc eximit:

Nec æqua, nec bona eſt ſententia

Vestra hæc, & haud mentes celeres probauerim.

Imò Deus, generis ſator mortalium,

Legiſq; lator odit iuſtitiam nimis

Duram, atq; pluſ ſatis rigidam, neq;

Humana uita res Deo leuiuſcula eſt,

Vt luſus eſſet in periculo ſanguinis.

Nec iſ ſapit, qui reſtū non intelligit,

Peruerſa crede, & callida eſt uacordia.

## ACTVS

Adiudicastis hanc neci, quæ est innocens,

Scelerisq; quo de condemnastis, libera.

Aliena non erat, sed stemmate, & bonis

Natalibus domus Israël filiam

Damnastis: hem gradum ad tribunal uertite,

Restituite hanc matronam honestam in integrum.

**A.** In integrum? Num ius suum non obtinent?

Aut unde tanta autoritas puellulo?

**Q.** Diuinitus puto. Nam qui prudentiam

Tantam dedit, tamq; admirabilem, Deus,

idem dabit ius uindicandi innoxiam.

Quapropter o patres, honorem iudicis

Huic deferemus. Agi. Deferemus? Quæsi. Maxime.

Puer tenelle, qui propheta pneumate

Donatus es, capesse munus iudicis.

Oraculum nobis tua sit sententia.

Quod spiritus dictabit, id ratum fiet.

Vestros locos leti patres capeßite.

Manus tenellas liberate uinculis.

**Cl.** Faciemus id Prætor, manu promptissima.

**Q.** Restituite hanc matronam honestam in integrum.

## SCENA II.

DANIEL, QUÆSITOR, ACHAB,

Sedechias, Cleter, Abed,

Apparitores.

Q V I N T V S.

**D.** **P**ATRES domus Israëlinclytissimi,  
 Quandoquidē honorariū, & amplissimū modo,  
 Munus datum mihi, atq; causæ arbitrium' st.

Audite paucis, quidnam in hac re sentiam,

Nec barba presbyteros facit propendula,

Nec latus efficiet clauus Senatui

Aptos uiros, nec picta lege fimbria.

Animis teneri iūra certum est argui.

Sed æquitas præstabit iura singula.

Sed ne morer multis, senes seiungite.

Erat status coniecturalis, hinc senes

Oportuit probasse rem tecmerijs,

Iurare tam facile est malis periuria,

Quàm candidis suæ uitæ innocentiam

Testarier. Viros senes secernite.

Sistatur alter ad tribunal, alterum

Foris tenete cautius, quo ueritas

Patescat ex claris coniecturalibus,

Quæ ponderis plusquàm confusa iudicium,

Nec ponderata recte habent suffragia.

Nam ponderandas, non numerandas dixerim

Sententias, fallitq; disquisitio.

Aliena mens? tribunal certè alienum erit.

**Q.** Rectè puer monet, propheta maximus.

**Ac.** Autumné agamus? Hoc procul nobis fiet.

**Sc.** Num iteranda nobis causa limitata erit?

97.

ACTVS

O iura, Quis vigor uobis nunc amplius?

Q. Nunc? Optimus. Apparitores, prendite  
Viros senes, missa Ioakim coniuge.

In hemicyclum sistite Achab feruidum,

Et alterum foras seorsum excludite,

Sed cautius, ne causam coeptam deserat.

Cl. Ehem senex, timesne causa? perfide,

Mecum ueni foras. Abed, Deus laudem suam

Ex ore perficiet tenelli infantuli.

Huc siste nunc gradum: nunc iudici

Diuinitus dato responde libere.

SCENA III.

DANIEL, ACHAB, QVAESI-  
tor, Cleter.

Da. V Eterator, annis & dolis grauissime,  
Nequam scelestè, quæ uos diræ possidentis

Ab unguibus teneris meditati crimina

Nefanda, & exercetis usq; perditè?

Quonam usq; censes optimum atq; Maximum

Deum, tuis nefandis indulgentius

His machinis sic conuenire? Falleris,

Si hoc credis? Haud cedit bono clementia

Eius Dei, cui corda cuncta cognita.

Tutum esse facinus credis? & uacuum metus

Astu doloq; abscondere tantum nefas?

At ille rebus lumen infundens suum



## QVINTVS.

Mortalium sator scelus tuum uidet.  
Negata magnis sceleribus semper fides  
Contingere haud potest secundo numine.  
Age nunquid haecenus patrata crimina  
Nunc innotescunt omnibus mortalibus?  
Hucusq; uestris in genibus sita salus  
Multorum erat, qui destituti dextero  
Patrocinio misere periere innoxij.  
Censura uestra agit columbas simplices,  
Veniam & quietem dat coruis rapacibus.  
Damnastis usq; innoxios, & innocens  
Pessundatus poenas luit, te iudice,  
Prauissimis albos ferebas calculos,  
Et ex reis tu noxios exemerat,  
Videlicet consortes, & per munera  
Sententiam tuam expugnantes, perfide,  
Id ille qui mundum quatit, non perferet.  
Sed est tibi parum curæ quod præcipit  
Summus nomotheta, atq; imperator maximus  
Quandoquidem eam uilitigator uideras.  
Dic qua sub arbore eos amplexibus frui  
Deprenderis. Ach. Sub qua? Recordor: dixero.  
Schinus fuit. Dan. Memorem esse mendacem decet.  
Ehem sceleste, qui proteruiam facis,  
Mentiris in caput tuum, poenam lues,  
Summi minister habet latam diuinitus

## ACTVS

Sententiam, medium te exire, Is perditum.

**Q.** Certissimis signis, calumnie hic conuictus est,

Abduce cautius, uinctum custodias.

**Cl.** Me consequere. **Quæsi.** Sed alterum huc accersier

**Cures.** **Clet.** Bene id curabitur. Veni.

Ehem, tua ferocia nil efficis,

Nil te iuuabit ista torua luminum

Truculentia, huc Abed senem istunc sistito.

**Ab.** Age nunc senex tuum dic testimonium.

Non fallitur prophetae hic infantulus,

Ehem, tremis? reatus forte conscius

Tibi es. Quid oris pallor? Conscientiæ

Signum? Tribunal hoc tibi est formidini?

## SCENA III.

DANIEL, SEDECHIAS,

Quæstor, Populus.

**Da.** **H**EM, degener Iudæ, natalibus.

Tu Chanaam sapis magis teterrimam.

Te forma præstans, elegantie decus,

Vultusq; gratia impulit, uesania

Hinc nata, amorq; flagrat cæco pectore.

Ingens furor libidinis cor occupat.

Multoq; retrò tempore, atq; sæpius

Vitium obtulistis filiabus Israël.

Dolo malo pudicas usq; uirgines

*Temerastis*

## QVINTVS.

Temerastis ac matres familiâs malis  
Violastis artibus, quibus celebritas  
Fucata uestra diu formidini fuit,  
Petulantiae uestrae parebant crebrius  
Miserae, fruente uestra consuetudine.  
Ast nata stirpe Iudae fortior fuit,  
Animus probus probis quadrat natalibus,

Aheneus murus uobis fortissime,  
Inuicta uictrix non dignata cedere:  
Sed restitit truci minarum fulmini.  
Dulces preces uestras inermes reddidit.

Ensemq; melle tinctum casta uiribus  
Coelestibus fregit, technasq; depulit.  
Gladio peribis ipse tuo nequissime.

Sed ne putes forte hoc ex composito geri,

Dic queso qua sub arbore ipsos mutuo  
Deprenderis in horto amœno colloqui?

Se. Non fallor, arbor pinus est adulteris  
Veneris nefandae testis, crede conscia.

Da. Sycophanta, ain? Mentiris in tuum caput.

Gladio Dei minister uindex imminet,  
ωγισαυσε nunc medium, Nam haec iusta est ultio  
Si talionis poena hanc uindicauerit,  
Adiudicaueritq; uos dignae neci.

Q. Tanquam executor, equitatis strenuus,  
Committe eos, si sit animus nunc conloqui.

B

ACTVS  
POPVLVS EX PSAL. VIII.

Quam tuum nomen dominator omnis  
Terminis terræ celebre, atq; miris  
Hoc modis clarum uolat ultra cunctos  
Vndiq; coelos.

Tu tuas laudes pueri tenelli  
Perficis plectro resonante, quo tu  
Destruas hostis pariter maligni  
Funditus artes.

SCENÀ V.  
POPVLVS, QVAESITOR, NOMEN-  
clator, Præco, Cleter.

Po. **H**ominum fidem? ¶ Populares indignissime  
**F**actum uidemus. ¶ Claret innocentia  
Nunc coniugis Ioakim? ¶ Prò calumniam.  
Quid talionis lex? Valétne ea amplius?  
¶ Similis puto est aranearum stamini.

Q. Præco, iube silentium. Nunc legibus  
Fiet satis. Præ. Quid uestra turbulentia  
Sibi uult? satis faciet prætor nunc legibus,  
Temerarius siclis binis mulctabitur.

Q. Vtrunq; testem, rûrsûm in circûm sistite.  
Apparitores, ad tribûnal dúcite  
Senesceos, conuictos testimonij  
Adulterati. Cle. Eatur ergo. Præ. Pergite.  
falsj

QVINTVS.  
SCENA VI.

QVAESITOR, ARRADAN, DIBON,  
Zaba, Befasa, Dabrani, Iauan, Agira,  
Galaad, Histiob, Maloco, Heroz  
baal, Hedioth.

*De fidei R. R. R. R. R.*  
**Q**VAMVIS Deus, iudex supremus omnium,  
Per pusionem uatem, sic sententiam  
Certam tulit, ne sit, qui nunc id ambigat,  
Quin ueritas rei clare detecta sit:  
Iuris tamen processus hic, ritu fori  
Seruetur, ac dicat quiuis sententiam.  
Arradan, id quod sentis, hoc edissere.

**Ar.** Iam uideo nil fidendum circumstantijs,  
Nec fimbriae, nec canis, nec propendulae  
Barbae. Caper sic esset iudicum ordine  
Numerandus, atque lupus hirsuto tergore.  
Palinodiam pudicae foeminae cano.  
Sed talionis poenam his falsis testibus  
Adiudicauerim. Sed rex minister est,  
Si quis facit capital, tum iurisdictio  
Penes Nabuchadnezer est, non pessimum  
Regem, nisi quod incircuncisus imperat:  
Sed equitate pollet plurimum. Dedit  
Nobis subactis, ut causis moralibus  
Ius limitandis esset, atque legibus  
Permittit, ut sit uigor ille pristinus.

## ACTVS

Videtur ergo rem referendam esse integram  
Et transferendam ad regem. Sic inibimus  
Dubio procul quandam tum beneuolentiam.

**Q.** Dibon bone, quid animus tuus nunc iudicat?

**Di.** Non me fecellerat mens, quippe hos nouerant  
Intusq; et in cute esse peruersissimos.  
Sed cordium scrutator corrigit uices,  
Omnia sub auras tempus appariens refert.  
Age exequatur rex quod iste protulit.

**Q.** Dic Zaba. Zab. Si quid asperius in te Dibon  
Dixi, memineris me hominem errori obnoxium.  
Nam quod dedi, nollem datum. Sic iudico  
Ut iudicarunt hi, qui me prudentia  
Superant. Ero deinceps opinor cautior.

**Q.** Dic Besasa. Besa. Sic ut Arradan sentio.

**Q.** Dic Dabrani. Dab. Muto meam sententiam.

Id accidit, quod euenit creberrime,  
Quæis lingua non frenata, quiq; impendio  
Loquaciores. Nam tacuisse nemini  
Nocet, nocet locutum. Quam uicium sonat,  
Quam nunc dedi hac in re, sententiam? Solet  
Prouerbio dici, Quod sit oratio  
Eiusmodi, cuiusmodi est, qui protulit:  
Hanc deprecor suspicionem, fratres pijs,  
Posssem uideri esse Euripo inconstantior.  
Necessitas cogit nunc uela uertere,

## Q V I N T V S.

Palinodiamq; cantitare iniurie.

Nunc assero hanc matronam honestam innoxiam.

Senibusq; quod dixit puer, pronuncio.

**Q.** Iauan, tuum uidere dic. Ia. Sto pristinae  
Sententiae. Matrona nequaquam est nocens.  
Multa graui capitis multandi sunt senes.

**Q.** Agira, mentis sensa detege. Agi. Amplius  
Pronuncio, ac lambda nostrum est calculum.  
Ratio est, quod istaec causa est ardua.  
Parum liquet, num quae gerantur sint satis  
Rata, aut puer legitime ius subiuerit  
Impuber. Atq; recte iurisdictio  
Transfertur, unde fluxit dignitas ea,  
Verum bonus Quaesitor hancce transtulit,  
Quam non habebat propriam, suffragijs  
Populi, atq; presbyterorum calculis,  
Quibus ipse iudex noster constitutus est.  
Oportuit mandari. Sic puto esse id irritum.

**Q.** Dic Galaad. Gal. Credebam testimonijs  
Quae iusta sunt, cum testibus fides bona est.  
Hinc fit quod hac in re muto sententiam.

**Q.** O Histiob, suffragium profer tuum.

**Hi.** Quid nunc Agira? arridet ampliatio?  
Quid ambigisne, an quid momenti  
Santio pueri sit habitura? Crede, plurimum.  
Translatio est consensu facta maximo

E S.

ACTVS

Populiq; applausu, & quod tibi sit amplius,  
Monarcha summus hanc in ipsum transtulit.

A quo uenit potestas omnis omnibus.

Negas? Rogo miraculum consydera.

Fateberis dubio procul diuinitus

Hec esse: prorsus nil mihi hic est irritum.

Q. Et tū Maloco dicito sententiam.

Ma. Consulueram prius, quod equitas iubet,

Quò incumberet probatio robustior

Tecmerijs & coniectationibus.

Nec me fefellit. Id sagacitas

Pueri potest, Senes nos ita stolidos

Vacordia occupauit, ut ne opus quod est,

Videamus in negotijs his arduis.

Quod si mihi pleriq; tum subscribere

Minime grauati essent, stetisset ueritas.

Sed stat, Deo laus, & modo isto clarior,

Quàm si lateret adhuc iniquitas senum.

Q. Ierobaal tuum uiderere detege.

Ier. Detexeram prius, sed me fefellerat

Maturitas senilis, & iuranda numina.

Habeo necesse, ut pristinam sententiam

Mutem, sequarq; Dei tribunal. Quæsi. Hedioth.

Quid asseris? Hed. Bonas probo sententias.

Q. Collecta nunc damnant senes suffragia.

Si quòd quibusdam non fidei satis queat

*Quid si*



## QVINTVS.

Oraculum præbere. Restat amplius

Nunc executio. En Nabuchadonosor

Rex, en stipatus, en satellitum agmine

Multisq; Satrapis: illi mandabimus

Negotium. Minister summi regis est.

Quo de puer uates tulit oraculum.

## SCENA VII.

SIGNAEVS, STRATEGVS, NABU-  
chadonosor Rex, Aspenax magister Eu-  
nuchorum, Quæstor, Achschedar  
& Persa Satrape, Pachus, To-  
parchus, Adargazareus,  
Ephorus, Dethas  
braeus, Sym-  
bulus.

Sig. **E**N, Rex Babel Nabuchadnezer maxime,  
En, concio populi Israël non infrequens,  
Si non meus me fallit uisus debilis,  
Forum celebrant. Nab. Sed quid pusio facit?  
Senes puello nimirum alium Iudicis  
Pro more, deserunt munus, Quid moris est?  
As. An Bel me amet, Nabuchadnezer inclyte,  
Est Belthaschazar hic puellus aulicus,  
Nuper mee curæ mandatus, optime  
Spei puer: nec non donatus indole,

ACTVS

Quam uero quis uellet in prole regia  
 Videre, pollet is graui prudentia,  
 Et ne suo fraudentur honore ceteri  
 Qui nuper ex eo genere fidei meæ  
 Sunt crediti, Babylonij felicius  
 Studijs suis pergunt in usum regium,  
 Sed omnibus multò hic fiet præstantior.  
 Columnen, decusq; regni longe maximum.

Na. Ain? Videntur uelle nos accedere.

Sistamus hic gradum miror. spectabimus.

Q. Vinc̄tos senes, ad Maiestatem regiam  
 Ducite. Patres, eamus omnes obuiam.  
 Vates puer, dextram tu mihi claudito.

Ac. Veniunt, o rex Nabuchadnezer, agmine.

Q. Viuat Nabuchadnezer, rex Babylonius.

Na. Quid fertis o uiri? Quid isthæc concio  
 Portendit? aut quidnam uincti sibi uolunt?

Q. O Rex Nabuchadnezer, uictor maxime.

Hi testimonijs confictis, et dolo

Malo, pudicitia memorabili, et probis

Castisq; moribus, hanc mulierem, quia pia

Non obsequi uoluit prauæ libidini,

Satagunt ream facere. Sed tanta autoritas

Virum, sefellit, hancq; condemnauimus,

Vt adulteram. Sed en Deus comparuit,

Cum nulla spes salutis esset, foemina.

*In Reu. suaz satagit. Terst.*

QVINTVS.

Misit puellum uatem, qui prudentia

Excellit omnes israelis arbitros:

Conuicit hos calumnia. Nab. Hiccine pufio?

Q. Verumst. Per. Sagacitas puero est mirabilis.

Q. Hos lex Dei nostri, iubet multari,

Legisq; sensus est, peccati talio.

O Rex, tibi est in nos nunc iurisdictio

Capitalis, hoc tua estimabit equitas.

Na. Pronunciauit hoc puellus iudicans?

Q. Imo Na. Viri proceres, chariq; principes,

Miraculum hoc an non uidetur maximum?

Conferte queso uestra in hac re symbola.

Q. O Rex Babel, nil possum in hac re infringere.

Quin rata sint, quaecumq; dixit Balthasar.

Humana uis non est, sed fit diuinitus.

Pe. Non abnuo. Crediderim hoc. Sig. O Rex placet,

Spes magna, Rex relucet in puellulo.

Ornabit haud dubie regnum Babylonicum.

Pa. Dico ratum: ratum esto quod diuinitus

Euenit. Esto oraculum. Top. Non displicet:

Hic temporis successu fiet satrapas.

Ad. O magne Rex. Spes ampla fit ex israel.

Ep. Secunda cuncta sunt, et regnum floridum est,

Dum hic incolit populus foelix Babyloniam.

De. Mandetur ergo illis nunc executio,

Crescatq; Balthesazar. Symb. Consulunt bene.

E S

ACTVS

O Rex Babel, Nabuchadnézer maxime.

Na. O Israëlis arbitri, nobis placet,

Quod exules in nobis non conceditis

Patulam fenestram iniquitatibus. Probo.

Calumnias <sup>exprobrat</sup> maneto digna talio,

Quam patria lex statuit, Mose sue dicitat.

Nunc executio uobis commissa sit.

Nos hic necis spectabimus spectaculum.

SCENA VIII.

QVAESITOR, SVSANNA, BENIAMIN,

Daniel, Ioakim, Rachel, Ehel

kias, Promptula.

Q. **S**VSanna, singulare pudicitiae decus,

Examem ignis aurum uirtutis probat.

Prudenter appellasti summum iudicem.

Congratulor tuae salutis, & nescio,

An esse quicquam possit, quod gratum magis,

Magisq; uolupte sit, quam, quod tua modo

Detecta Ingratia Dei uiuentis est

Pudicitia, salua, constans, integra.

Fac modo animo praesenti sis, cum coniuge

Charo, tuisq; liberis, Deus bene

Vortat, tibiq; optata semper offerat.

Su. O summe Deus, auctorq; & rector omnium.

Quiste iudex, me periclitari

## QVINTVS.

Sinis, perire non finis: praesens ades  
Tum, cum adeo uideor iam destituta maxime:  
Freti tuae benignitati firmiter,  
Nunquam peribunt, quin submersa funditus  
Tantis miseris porrigens manum tuam,  
Precor Deus ne me tentationibus  
Grauioribus posthaec uelis committere,  
Quin uiribus ualidis mollem suffulcias,  
Si tam tuae laudi sum accommodum organon  
O Ioakim coniux, nati dulcissimi,  
Et uos parentes optimi, Deus potest,  
Ut iam liquet, miseros rebus iam perditis  
In spem bonam et salutem praesentissimam  
Sic collocare, ne deinceps periculum  
Noceat, opera Dei sunt mirabilia,  
Qui consilia hominum uicissitudine  
Inuertit, haud ullis modis reciproca:  
Quare Benjamin fili mi suauissime,  
Tuum fuerit isti lepido puellulo <sup>famulo</sup>  
Grates agere de reddita matercula,  
Quem summus ille iudex aequus arbitrum  
Mihī dedit, causam meam qui uindictet.  
Be. O Daniel, lepidum caput, facis bene,  
Qui pro tua commoditate meam matrem mihī  
Reddideris, haec enim mihī est charissima.  
Habeo, atq; ago, tibi merito nunc gratias

## ACTVS

Quammaximas, Vbi quid <sup>op<sup>o</sup> erit</sup> usus uenerit,

Lubens tibi benefaxo, pro modūlo meo.

Da. Dicis benigne, En iam licebit gaudio

Tuo frui: frūere. Domino Deo tuo

Debes tuam matrem, cuius <sup>ge</sup> uices gero.

Q. O Ioakim, tuis letor nūnc partibus.

Senes periclitantur, atq; in limine

Portus tibi est, tutusq; in uado nauigas.

Dominum Deum, pro moribus tuis, time,

De castitate coniugis, iam certus es,

Aurum probatum habes probationibus,

Et lilium, natum inter spinas asperas.

Vxor tua, uelut fructifera uitis siet,

Prolesq; tua, sit instar oliuæ plantulae.

Dominus tibi benedicat in Syon largissime,

Sobolemq; postliminio olim uideas tuam,

Letus redire. Quod si ea res tibi libet,

Licet, tuis de inimicis ulcisci modo,

Et par pari rependere. Ioak. Non id moror.

In auctoratos hoc decet pro munere

Suo. Dominus etiam uindictam uindicat

Sibi. Mihi priuato non decorum erit.

Hoc lex iubet, ne interficiam ego proximum,

Nobis magis conueniet letis hanc diem

Domino Deo tripudijs insummere.

Valete presbyteri, censores Israëls,

## QVINTVS.

Deo sint hanc ob æquitatem gratiæ.

○ socia thalami, quæ fidem tuam mihi

Seruaueris constans, ex quo conueneras

Mihi in manus nūbens. Quin uulgò dictitant,

Castam esse eam, quam nullus uir rogauerit,

Tentata precibus restitisti machinis,

Non cessit animus, neq; uim pertulit tuus

Pudor. Sus. Deus uires dabat conatibus.

Quod iactitem nihil est, studium boni Deus

Autor bonorum pectoribus mortalium

Larga sua bonitate inspirat. Ioak. O meum

Decus, Beatus sum, talis cui contigit

Consors tori, tædis tuis felicius,

Aut auspicius nil usquam gentium

Fuit. Parentem pulchra prole me facis.

Iamiam pater iuuat procul forensibus

Negocijs uitam meam consumere.

Domus mihi deinceps amica, erit optima

Domus. Deo uiuam, charæq; coniugi.

Su. O gnata, gnata, quàm pectus salit meum!

Affectibus uarijs raptor. Eadem dies

Plusquam satis funesta apparuit mihi,

Mihiq; reddidit te festiuissima.

Benedictus esto summe rerum conditor.

Valeat Deum uulgus reliquorum longius.

Tu tu Deus Syon, tu inquam rectissime

ACTVS

Dextra administras mundi gubernacula:

Tu flexuosa cuncta rectè dirigis.

Ch. Tu uera prædicas, coniux, ô filia,

Ô mi gener, fili mi, lachrimo gaudio,

Nam non queo modis alijs effundere

Quod pectus insiliens eructat. Susan. Mi pater,

Materq; . Sic deinceps futurum iudico

Castis locum matronis, ac puellulis

Periculo tutum meo fore. Promp. Puto,

Speroq; . Nil uotis meis responderit

Vnquam magis: nil ex animi sententia

Succefferit magis unquam, quàm castitas

Secura: si non hoc nefas uel maximum

Pomario suo pudicam foeminam

Non dico ab hostibus sæuis, sed maxime

Ab Israëlis arbitris non tutam esse,

Profecto nescio quid possit amplius

Dici nefas, nisi sic Deus robur tuum

Mea hera eo modo probe tentauerit.

Su. Quid? Haumca tu, hoc absit mea Promptula.

Natam meam hanc puellulam uolo

Meo periculo laboribus consuescere,

Si tu sapis, cauebis dein' ab ocio,

Ne te in tantum periculum præcipitem duis.

Beatus ille certe qui ex alijs sapis.

Sed hinc eamus, ne uideam hoc foedissimum



Q V I N T V S.

*— Spectaculum, aut ne cui uidear uindictæ amans. —*

*Io. Recte mones meum delictum maximum.*

S C E N A IX.

ABED, SEDECHIAS, CLETER,

Achab, Quæfitor, Præco.

*Ab. I* AM tempus ò miseri instat, ut uestrum scelus  
*I* Luatis. *Sed.* Heus precor, sine ut populo loquar.

*Ab. Loquere. Sed.* Viri, pueriq; extorres Israël,

Babylonijq; ciues, hoc miseris date,

*Quicumq; publico splendetis munere.*

*Cauete ne fraus ulla, nec dolus malus*

*Corda occupet uestra, aut praua libidine*

*Ruatis in præceps. Sapite periculo*

*Nostro. Facinori dignam poenam pendimûs.*

*Malum consilium consultori pessimum est.*

*Orate nunc Deum, quem iustum sentio,*

*Miseris suo ut parcat iudicio, quo satis*

*Habeat modo hoc paruo supplicio pro sua*

*Clementia, quamuis delicta maxima*

*Sient, sed hac magis ratione splendeat*

*Bonitas eius, magis si superet gratia.*

*Ac. Sit fas mihi quoq; pauca proloqui. Clet. Licet.*

*Ac. Monuit meus socius probè: Sed amplius*

*Monebo. Nam non sufficit, nec crimine*

*Prorsus uacat, qui non designat, Interim*

*Tamen manus muneribus gratis patent,*

ACTVS

*Hesiod.* Cæciq; dorophagi ferunt sententias  
 Ad gratiam, quibus nos freti pessime  
 Deliquimus: Dicenq; prouocauimus,  
 Nostro iumento accersentes nobis malum,  
 Fortuna parcit in pœnam quàm plurimis.  
 Vel sic Deo uisum est, ut sese examinent,  
 Nostroq; damno agant nunc pœnitentiam,  
 Nec differant in sera fata piaculum,  
 Vestrae preces fiant pro nobis ad Deum.

*Ab.* Ehem senes: Dice, moras iam rumpere  
 iubet. *Sed.* Precor da paulum temporis  
 Deum precandi, si miseris auertere  
 Dicis uelit, & ulciones tartari.

*Ab.* Est sera crede in fundo pœnitentia.

*Homer.* & *Uind.* Speras tuam Liten, quod Ate tempore  
 Longo suis malis turbarit artibus  
 Sarcire posse? *Sed.* Tanta Dei est benignitas,  
 Suspirijs inclamo ex imo pectoris,  
 Gemituq; pœnitudinis seras preces  
 Eructo. Domine anhelas has uoces meas  
 Accipe: tuas aures patulas pandas meis  
 Precationibus. Deus, Quis sustinet,  
 Si iudicans scelera rigore examines?  
*N.* Finis licet nullus meorum criminum,  
 Finis tamen nullus tuæ clementiæ est.  
 Si tartari sum pœna dignus maxime,

At tu

## QVINTVS.

At tu tamen non dignus, qui crudelius  
In noxios statuas. Saluabis Israël,  
O si salus communis hæc diuinitus  
Mihî scelesto iam queat contingere.  
Cl. Licet tibi quoq; tuas preces attollere.  
Ac. Ne sæuius domine Deus furor tuus  
Me corripiat, & ira in me commotior,  
Nunc ingruens clementius me uerberet,  
En fulminis telum minatur acriter,  
Et imminens manus terrore concutit  
Mentem, & animus horret formidine,  
O scelera tetra: non est ulla sanitas  
In carne tota, totus languedo miser.  
Dum mente concipio quandam iræ imaginem,  
Nec conscientie pax est meis in ossibus.  
Quoties recordor quàm caput nequitia,  
Vertexq; mersus, quamq; onus pessundatum  
Grauiter premat. Tremiscere tribunalia  
Possum tua, sed ea haud possum uitare: Væ  
Misero mihi. iustam tuam sententiam  
Non sustinere possum, ni miseratio  
Plus ponderis meis habeat nequitij.  
Q. Quamuis meum caput peccatis obrutum  
Sit, attamen mos urget, ut exordiar.  
Patres domus Israël, è medio malum,  
Vt dictitat lex Moscos, hinc tollite.

ACTVS

*Se. Animam meam tibi mandauerim Deus.*

*Ac. Animam tibi mando domine Deus meus.*

*Cl. Habent satis lapidum. Abed. Nunc tuta opinor est  
Pudicitia. Clet. Viden, quàm torua lumina  
Hinc inde iactitant? Abed. Ne spes uos deserat.  
Cum patribus maioribus quiescite.*

*Q. Ponantur hinc, ex anima uirum cadauera,  
Terraq; mandentur, pro more patrio.*

*Pr. Vixere. Nunc domum se quisq; conferat,  
Exempla statuite ante oculos sibi  
Quilibet. Adulteris sic fit in Israël.*

CHORVS EX PSAL. I.

**B**EATVS ille qui procùl synedrijs,  
Et impijs mortalium

Confessibus, & peccatorum compitis,  
Solutus omni crimine,

Nec occupet cathedras pestilentiae

Cæcus malis dogmatibus,

Nec ludicris piorum mentes inficit.

Felix & ter, & amplius,

Totus uacans Dei sacratis legibus,

Eas uoluntans sedulo,

Noctes diesq; mente uersat candida,

Is crescet instar arboris

Ad riuuli ripam sitæ pellucidi,

Quæ leta tendens brachia,

## QVINTVS.

Fructus ferens suo rependet tempore  
Cui non nocebit Africus,  
Non Bruma frondibus comas detraxerit,  
Huic cuncta fient prospera.

Non sic tibi, non sic continget impie,  
Sed tu peribis funditus,  
Cum uentus instar pulueris te iactitat  
Per aëra atq; inania.

Hinc fit, quod impios arbitrium Dei  
Pesundabit letaliter,  
Hircos ab agnis cum pastor seiunxerit,  
Quem nil latebit uspiam  
Viam piorum cognitor iustus fiet,  
Mittet malos ad Tartara.

## ~~SEPILOGVS. R~~

**N**IL quicquam aliud est scena: Prestantissimū  
Viri, patresq; consultissimi, mea  
Quidem sententia, quàm lucidum  
Mortalium uitæ speculum, quod exhibet  
Faciem maligni sæculi, Sic Tullius  
Romanus ille orator pulchre comparat,  
Cum differit, quid sit decorum singulis,  
Iubet intueri Comici spectaculum,  
Quo quisq; personam suam recte gerit,  
Sic contrà dum suum persona scenica  
Seruat τῷ ἑταίῳ docet magis contrarium

ACTVS V.

Senes

Plerunq; quid deceat, rarissime docet.

Senes scelesti dum decorum sedulo

Custodiunt, docent senes longissime

Cessisse ab officio, ac persona iudicis.

Susanna

Susanna contra sedulo seruat suum

ᾠρέπον, Videbit hinc matrona moribus

Petulantibus, se iam cessisse longius

Suo decoro. Ex paucis his, sic cetera

Vos aestimate, dum is plectro uernaculo

Sonabit, ut cunctus populus intelligat,

Nos interim studij nostri specimen damus,

Non serij quidem. Hæc nobis sunt ludicra,

Quæ sunt grauiataq; utilia mortalibus.

Visum id satius, ac si nugas Tragœdijs

Agamus: hoc enim culpata parcœmia.

Nos nostra sic studia semper paramus, ut

Lusus sit è Repub. idq; honestius

Nos iudicamus, quàm si rebus friuolis

Indulgeamus, in quibus non commodi

Quicquam est. Sed hoc uestrum fuerit munus Patres

Conscripti, ut hoc curetis inter cetera,

Ne detrimenti quicquam in herba publicus

Capiat status: Capiet uero si partius

Studijs datur fomentum liberalibus.

Ac qui, boniq; facite isthæc puerilia.

DIXI.

DIVINORVM PRAE  
CEPTORVM,

**M**ente Deum tota uenerare et semper adora,  
Non iures frustra sanctissima numina diuū.  
Hinc caueas festis quicquam exercere diebus,  
Quod uetitū est, magno pius affice honore parentes.  
Non hominem occidas, nunquam furare: malignus  
Esse caue testis: Nec non bonus effuge lectum  
Concutere alterius, tædas foedare iugales.  
Non modo neu turpis sis lege iuberis adulter,  
Sed ne nupta quidem alterius tibi mente petatur:  
Cuncta aliena, bonus quo sis, cupiisse caucto.

Hæc quicumq; decem summi præcepta tonantis  
Christicola, ut debet, seruarit, carcere liber  
Corporis, ad cœli felicia tecta uolabit  
Letus, & æternum cariturus morte quiescet.

SYMBOLVM ATHANASII

Georgio Pictorio autore.

**Q**VI cupit, ò iuuenes cœlestia regna uidere,  
Pectore catholicam credat & ore fidem:  
Quam nisi quis totam, nec non sine labe tuetur,  
Ibit ad infernas, non rediturus aquas.  
Hæc est sancta fides, quæ tres ueneratur in uno,  
Inq; tribus solum concinit esse Deum.

## SYMB.

Hæc personarum numerum confundit in unum.

Hinc pater, hinc natus, spiritus inde micat,  
Maiestasq; trium par est, eademq; uoluntas.

Spiritus est idem: Filius atq; pater.

Spiritus æternus, qui lumina pandit utrinq;.

Filius æternus, perpetuusq; pater.

Non tamen æterni tres sunt, sed solus & idem

Immensus natus, spiritus atq; pater.

Spiritus omnipotens pariter credendus, & ipse

Omnipotens natus, omnipotensq; pater.

Non tamen in cœlo diuos tres credimus esse.

Sit procul à nostra mente prophana fides,

Sicut & esse trium dominumq; Deumq; fatemur

Quemlibet, ut pietas religioq; iubet:

Sic prohibet sancta pastor Romanus ab urbe

Ducere tres dominos, ducere tresq; deos.

Nemo patrem genuit, neq; fecit, nemo creauit.

Sed natum genitum credimus esse patre.

Spiritus at domino sanctus procedit utroq;

Perfectam Christi qui docet esse fidem.

Qui cupit ergo suam paradisi in uertice sedem,

Hoc de personis sentiat esse tribus.

Inde quod est mire factum, caro credere uerbum

Cogimur, unde fuit nostra oriunda salus.

Christus homo, ac summus deus est, sine fine gubernās,

Pro nobis uoluit qui cruce sponte mori.



## ATHANA.

Impia qui iustus Plutonis regna subiuit,  
Duxit & ad superos ex Acheronte patres.  
Qui patris ad summi coelestia regna reuersus,  
Nunc patris ad dextram cum pietate sedet.  
Horrificum rursus qui ponit in orbe tribunal,  
Aspera iudicij quando erit illa dies:  
Lucida quum coeli ducetur ad atria iustus,  
Et malus æterni præda Charontis erit.

## PSALMVS MISERERE.

Per eundem.

**S**vmme Deus cuius propriū est miscrescere semo  
Precantis quæso tu miserere mei, (per,  
Meq; animam miseram maculatam crimine multo,  
Ablue perpetua qua pietate nites.  
Nanq; mei sceleris sum conscius, & mihi semper  
Plurima delicti pectora noxa ferit.  
Peccaui fateor tibi soli, ac mille nephanda  
Te coram admisi, sed mihi parce precor.  
Vincas mortalis censuram iudicis, & quæ  
Dixisti, esse homines omnia iusta probent.  
Me mea peccatis concepit origine mater.  
Peccaram nec dum paruulus ortus eram.  
Ecce quod & solus ueri tu semper amator,  
Participem mentis me facis esse luce.  
Hyssopa si spargas in me, uel fonte lauabis

PSAL. MISERERE.

Mundabor, fiam candidiorq; niue.  
Tuq; per auditus immittes gaudia nostros,  
Et mea lætitiã molliter ossa dabunt.  
Peccatis faciem nostris procul abde tremendam,  
Et dele scelerum pectore quicquid inest.  
Cor mihi da mundum, tuus & mea uiscera semper  
Rimetur sancto spiritus igne micans.  
Nec faciem auertas à me uultusq; serenos.  
Inq; tuus nostro pectore uiuat amor.  
Redde salutaris misero mihi gaudia fructus,  
Et mihi diuini pectoris adde iubar.  
Ipse tuas genti leges referabo prophane.  
Ad te sacrilegus me duce uertet iter.  
Eripe sanguineis me conditor alme salutis,  
Iustitiam extollet sic mea lingua tuam.  
Tu Deus omnipotens aperi mea labra, foueq;  
Ut referam laudes ore sonante tuas.  
Si tibi nunc ueterum placuissent sacra dedissem,  
Sed tibi summe Deus non holocausta placent.  
Quippe pios animos contritaq; corda requiris.  
Hec te delectant, hæc sacra sola iuuant.  
Fac tua sit clemens Syon, mitisq; uoluntas,  
Erigat ut muros pacis amica suos.  
Tunc sacra iustitiæ capies conuersus, & aris  
Imponet uitulos tunc pia turba tuis.

# CANTICVM AVGVSTINI

Te deum laudamus,

eodem auctore.

**T**E Deus omnipotens canimus solumq; fatemur,  
Te solum dominum dicimus atq; Deum,  
Te æternum mundus patrem ueneratur & orat.  
Teq; patrem radians cantat uterq; polus.  
Te cœlum unanimi, te concinit ore potestas.  
Te chorus angelicus prædicat atq; thronus.  
Et tibi proclamant durantibus ordine linguis,  
Sanctus ait Cherubin, sanctus ait Seraphin,  
Et tua maiestas & gloria numinis implet  
Astra, solum, latices & sine fine maris.  
Te prophetarum, te laudibus intonat omnis  
Coetus Apostolicus, ueridicusq; chorus.  
Teq; tuas laudes mirandaq; numina passim  
Testatur pura candida uoce cohors.  
Te patrem & natum claro cum lumine sacre  
Ecclesie magno pastor in orbe canit.  
Christe pater noster tibi gloria contigit uni,  
Et tibi perpetuo contigit esse patri.  
Tu genus humanum non dedignatus, ab atro  
Eripis inferno, uirginis antra colens.  
Tu cruce crudeles superans pietate dolores,  
Sydereæ reseras claustra superna domus.  
Dextra tenes cum patre sedens loca filius, unde

F S

IMITANTI. AVGVSTI.

Venturum tetricis credimus esse tubis.  
Tuq; tuis igitur famulis succurre rogamus,  
Quos redimis posito sanguine Christe tuo.  
Fac nos astriferi uidisse palatia cœli,  
Inter & angelicos ferta tenere choros.  
Heredes populumq; tuum seruare memento.  
Et bene quos redimis dic pater alme tuis.  
Perpetuumq; regas illos, tollasq; per æuum,  
Ne uideant stygium crimina nostra canem.  
Quotquot eunt cunctis laudabimus usq; diebus,  
Et celebrat nomen machina tota tuum.  
Hanc tribuisse diem culpa sine gentibus omni  
Dignare, & ueniat te sine nulla dies.  
Et sperata tuo pietas descendat olympo  
Nos super, & nocui commiserere gregis.  
Sed quia te canimus solum, tibi fidimus omnes,  
Nil trepidat Christi sancta tenaxq; fides.

PSALMVVS IN TE DOMINE

speravi, per Helium Eobanum Hessum.

**C**uius ab humanis non est effabile nomen  
Vocibus, ò rerum spes, uia, uita, salus.  
In te præsidium statui mihi, tota salutis  
Spes est in manibus condita nostra tuis.

Ne sine, ut incutiant aliquem mihi adacta pudorem  
Scandala, sed solita me tueare fide.  
Huc age flecte tuas, quibus omnia percipis, aures,  
Et cito ser, supplex quam tuus ambit, opem.  
Sis mihi in auxilium tanquam fortissima rupes,  
Quam uis armorum frangere nulla queat:  
Sis uice munitæ quam nemo euerterit arcis,  
Illa domus nostræ cura salutis erit.  
Tu siquidem turris fortissima, tu mea rupes,  
Tu mihi dux igitur, tu mihi rector eris.  
Quæ posuere mali de retibus erue captum,  
Plus alijs longe roboris unus habes.  
Accipere hanc animam manibus digneris amicis,  
Et commendatam ser precor esse tibi.  
Nam tua me pietas & ab hoste & peste redemit,  
Vno te, poterit uerius esse nihil.  
Odi qui magicas uitam coluere per artes,  
Omnis at in domino spes mihi fixa manet.  
Cum me letifica facias pietate beatum,  
Quî potero laudis non memor esse tuæ?  
Hæc mihi gaudio erunt propria, hæc mihi uota mane  
Læter ut ex animi dexteritate tui. (bunt.  
Nam mea perculsi sanasti uulnera cordis,  
Depulit ærumnas & tua dextra meas.  
Nec me passus eras includi hostilibus armis,  
Lata uia est pedibus, te duce, facta meis.  
Respice me, miserere pater, pius esto roganti,

Nam miser ærumnis opprimor immodicis.  
Assiduo facies contabuit anxia luctu,  
Sunt sua nunc animæ uulnera facta meæ.  
Comminuit miserum pungens angustia uentrem,  
Amisit uires anxia uita suas.  
Languit assiduis consumpta doloribus ætas,  
Et mea me uirtus deflua deseruit.  
Delicta euertunt mea me, corda ægra fathiscunt,  
Nec succus miseris ossibus ullus inest.  
Omnibus opprobrium contemnor ab hostibus, & sum  
Factus uicinis fabula foeda meis.  
Digressum foribus noti fugere, nec ægro  
Vllus amicorum ferre uolebat opem.  
Non est ulla mei ratio super amplius ullis.  
Ac si me fati uincula dura ligent.  
Ceu nunquam fuerim me obliuiscuntur amici,  
Creditus abiectæ sum uelut umbra rei.  
Nam mala fama meas multorum perculit aures,  
Et quacunq; solet parte uenire timor.  
Dum male consultant qua me ratione trucident,  
Qua capiant animam conditione meam.  
Nostra tamen soli tibi spes constanter adhæret,  
Nam mihi te præter quis Deus esse potest?  
In manibus mea uita tuis, & tempora uitæ,  
Eripe ab hostili me pater alme manu.  
In me sparge tui radios & lumina uultus,  
Esse tua saluum pro pietate sine.

Nēue pudeſiam fragilis discrimine uitæ,  
Totus enim de te pendeo teq; ſequor.  
Impia turba ſuo confuſa pudore feratur,  
Muteſcat Stygios impius ante lacus.  
Mendaces ſileant de iuſto falſa loquentes,  
Dum faſtu nimio turgida corda gerunt.  
Quàm bona ſeruasti te magna timentibus, & quàm  
Sunt ea ſecreta condita claue tibi.  
Iam mundo ſpectante tuis bona quanta dedisti,  
Submittunt fidei qui ſua corda tuæ.  
Occule ſub latebris ipſos, ne turba malorum  
Irruat, & captis iura ſuperba ferat.  
Ipſos ceu tacito tuguri ſub culmine condes,  
Ne mala, iurgatrix lingua, mouere queat.  
Atq; hymnis & laude Deus digniſſimus omni eſt,  
Qui mihi munita dexter in urbe fuit.  
Cum fugerem præceps, & ſpes iam nulla ſubeſſet,  
Mens fuit obiectum me procul eſſe tibi.  
Audisti tamen, & precibus rata uota dedisti,  
Abs te cum querula uoce precarer opem.  
Diligite ò anime dominum, pia pectora, sanctæ,  
Is ſeruat, fidei quos pia cura tenet.  
Ille ſuperborum factis ſua iuſta rependit  
Præmia, faſtoſos deſtruit ille uiros.  
Eſte uiri conſtanti animo, qui nomen amatis  
Ipſius, hic uobis fortia corda dabit.

FINIS.

IOANNIS V LIEGH KEMPEN  
sis dimetrum de turpi amore

**S**enili amore turpius  
Monstrosiusq; nil capit  
Tellus: neq; uspiam uidet  
Sol foedius: radicitus  
Qui excecatur oculos lynceos  
Cum sensibus mentem rapit.  
Vt uera uix discernere  
Amore possit languidus.


EIVSDEM DIMETRUM  
De Susanna.

Gaude Susanna nobilis  
Matrona laude fulgida  
Coniux pudica Ioachim  
Inuicta uicisti senes  
Omni dolo plenissimos  
Tu sceminarum gloria,  
Laus, et decus, uirtus, honor.  
Gaude Susanna plurimum.

Ergo agite matronae pie  
Violare uobis sit nefas  
Torum iugalem, sed uiris  
Seruare pacta uos decet.  
Ob oculos Susannam figite.














































ALBERTUS

4




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



**SUSANNA**  
COMOEDIA  
TRAGICA.

PER XYSTVM BETVLIVM  
AVGVSTANVM.



COLONIAE EXCVDB//  
bat Ioannes Gymnicus. Anno  
M. D. XXXVIII.

